MORIA

ᐧAN VOORST,

ᐧCTORIS ET PROFES-
ᐧDEMIA LUGDUNO-
ATAVA.

.IPSIT
ET SUCCESSOR
ᐧTUS VAN HENGEL.

ᐧATAVORUM,
LUCHTMANS,
.TYPOGRAPHOS.

ᐧ34.

○

MEMORIA

JOANNIS VAN VOORST,

THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

SCRIPSIT

DISCIPULUS ET SUCCESSOR

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

1834.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

AUCTOR.

Memoriam VOORSTII *in lucem editurus, haud multum habebam, quod praefarer. Maximam partem, priusquam typis excuderetur, in* tertia Instituti Regii Neêrlandi Classe *lecta est, cujus quippe socius et* VOORSTIUS *fuit, et a longo jam inde tempore, quod magno honori mihi duco, ego sum. Quid scribendo mihi proposuerim, suo loco perspicue jam indicavi* (*). *Nonnihil etiam eo conferre volui Annotatione Opusculo subjicienda. Haec autem si forte aliis plura, aliis pauciora continere videbitur, quam oporteat, cogitent velim satis graves mihi esse potuisse causas, cur nonnulla, vel prae-*

(*) Infra pag. 5.

praetermitterem silentio, vel dictis adderem. Et sane curandum putabam, ut homines, cum florentis aetatis, tum extranei intelligerent quoque, quae civibus, aetate mihi aequalibus, diu audita cognitaque sunt. Ceterum errare humanum est, nec mihi igitur ab errando cavere potuero; sed votis meis ac desideriis satisfactum erit, si Viri Eruditi et vero Docti judicaverint, hanc scriptionem VOORSTII *nomine non omnino indignam, et juventuti maxime lectu haud inutilem esse.*

Scripsi Lugduni-Batavorum,
die 24 Decembr. 1834.

Memoriam Virorum praestantium, qui hac ex vita sublati sunt, pro meritis celebrare, ut grati animi vulgo, nec sine causa, habetur officium; ita res haud dubie magni laboris est. Primum enim nemo mortalium eo in loco positus est, unde tanquam ex specula observare possit omnia, quae aequales tam occulte agunt, quam palam et publice. Deinde pauci admodum sunt, quibus satis perpetuis et diligentibus vitae aliorum testibus et spectatoribus esse contingat ad justum de iis judicium ferendum. Et si qui hoc singulari fortunae favore utuntur; quotusquisque tamen eorum est, quin communem a vero aberrandi et peccandi sortem patiatur? Haud raro igitur, ubi merita virorum, qui morte nobis erepti sunt, ponderare volumus, opinionum menti temere injectarum fraude, vel gravioribus levius, vel contra levioribus gravius momentum tribuimus. Nec minus crebro a sententia candide et

simpliciter explicanda anxia quaedam nos deterret cura, ne laudatione eorum aliis, sive fato functis, seu superstitibus, injuriam facere videamur. Et rursus homines, ut omnium temporum docet experientia, vulgo sic animati sunt, ut ad aequalium virtutes, post decessum eorum, oratione exaggerandas ferantur. Itaque mirandum non est, nullum fere genus cum dicendi, tum scribendi esse, quod spem et exspectationem saepius decipiat, quam quo mortuorum merito commemorare cupiamus.

Difficultates tantum attigi communes: sed ut aliae aliorum oratorum vel scriptorum, si mortuorum memoriam celebrare volunt, propriae esse solent; sic suas quoque habet, qui sibi VOORSTIUM laudare proposuit. Nam hujus Viri merita eximia quidem sunt; sed ita tamen non comparata, ut hominibus omnis loci et ordinis admirationem incutiant. Quod nemo sane negabit, qui ad provinciam, cui ille praefuit, animum attenderit. Dux non erat VOORSTIUS militaris, aut Reipublicae praefectus, aut certe illorum ex ordine, qui egregiis facinoribus in bello vel pace patrandis magnam sibi nominis famam per totam civitatem comparant; sed literarum ac doctrinarum causae addictus, ad senectutem usque id unum maxi-

maxime agens, ut veri rectique et honesti vestigia, quae in solitudine ipse perpetuo persequebatur, in scholis juventuti commonstraret. Studiorum genus sibi elegerat, quod in rebus magis intelligibilibus, quam adspectabilibus versatur, neque aut oculis auribusve voluptatem, aut civitati commodum illud et emolumentum affert, quod Mathematicorum et Physicorum diligentia ei afferre solet. Disciplinam tractabat gravitate insigniorem quam ambitione, Theologiam: et ita quidem, ut, si quae de ejus argumento scribebat, paucis plerumque scriberet lectoribus; ceterum nihil amplius quaereret, quam ad bonum commune prodesse. Viri sortem quod attinet, quamvis satis laeta utebatur, supra mediocritatem tamen non adeo evectus erat, ut ejus vita laudationem capiat, quam commendat ANTONIUS apud CICERONEM: eum, scilicet, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae: ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. Ex parentibus natus est bonis et honestis; sed nec majorum laude, nec generis nobilitate claris. Honores in eum collati non sunt plane singulares, aut ampliores,

quam

quam aliis quoque Academicis Theologiae doctoribus obtigerunt. Haud ita multa ingenii et doctrinae monumenta posteritati reliquit, quin omnium votis ac desideriis longe expetantur plura. Tum vero, ut plerique hujus ordinis homines, vitam degit placidam, tranquillam, neque crebris fortunae vicissitudinibus turbatam; sed rivi leniter fluentis instar satis aequabilem. Et hunc jam locum Vir ipse, cum, septuagesimo et altero aetatis anno, beneficia Dei in se collata oratione celebrabat, tam ab omni parte occupavit, ut, quamvis multus esset in rebus suis prosperis commemorandis, ne paucas tamen illas, quae adversae fuissent, silentio praeteriret.

Ego vero haec omnia mecum in animo consideraveram, priusquam scriptio mihi tentanda videbatur, qua VOORSTII memoriam renovarem. Sed religio mihi erat, difficultatibus objectis cedere. Nam cum SURINGARIUS, collega meus aestumatissimus, rebus humanis morte ereptus erat, omnium VOORSTII discipulorum me primum habebam, qui hoc officio obstringerer. Nimirum ante seculi jam praecedentis exitum, ejus non solum in schola versari mihi contigit, ut ad rerum divinarum cognitionem informarer, sed in amicitiam etiam

etiam et familiaritatem recipi. Ab hoc vero usque tempore, dicere non possum, quot quantisque beneficiis me Vir ille sibi devinxerit. Sed praeter alia, quae mecum communia habuerunt sodales, privatim ei debeo, quod nemo negaverit, omni beneficio majus esse et superius. Octo sunt anni, cum VOORSTIUS ad aetatem pervenit, Academiae doctoribus, ut docendi provinciam deponant, lege constitutam: ejus vero in me propensio tanta fuit, ut me unum sibi successorem peteret. In VOORSTII igitur locum suffectus, ut id egi assidue, ne venerandum senem voluntatis suae unquam poeniteret; ita post obitum ejus summopere cavendum esse duxi, ne grati animi testificandi occasionem negligere viderer. Quod autem ipse pietati dandum esse censebam, multorum quoque voces curae meae demandabant. Itaque subsecivi quantum poteram impendi temporis, non ad monumentum VOORSTIO aere perennius condendum, sed ad brevem elaborandam scriptionem, qua et apud aequales meos ejusdemque potissimum disciplinae alumnos memoriam Viri optimi conservarem, et civibus Academicis, Theologiae studiosis, exemplum ostenderem, quod diligenter sibi ad imitationem proponerent.

Delphis Batavorum natus est JOANNES VAN

VOORST

VOORST die septimo decimo mensis Martii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi septimi. Literarum ibi ac disciplinarum initia dedicit. Positis pueritiae rudimentis, vicinam in urbem, *Lugdunum* se contulit, ubi sex annos studiorum causa degit. Scholarum Academicarum decurso spatio, brevi post *Hallam*, pagum agri *Zutphaniensis*, Sacrorum venit antistes. Hinc, eodem munere functurus, *Vada* abiit, *Vadis Zierizeam*. Unde anno millesimo septingentesimo octogesimo octavo Professor ordinarius vocatus *Franequeram*, *Frisiorum* Academiam illustravit, donec *Arenacum* ad partes antistitis Sacrorum recipiendas proficisceretur. Anno vere jam sequenti Academia *Lugduno-Batava* eum sibi adscivit. Provinciam docendi capessivit oratione publice habita primo die mensis Junii anni millesimi septingentesimi nonagesimi noni. Ampliora loca, quam ab initio obeunda habebat, postea ei mandata sunt. Cum autem viginti octo annos Theologiam ibi professus erat, otium ei per legem Academicam concessum est; nec tamen scholis vacare desiit, priusquam ingravescens eum retinebat aetas. Nono vigesimo Julii anni millesimi octingentesimi trigesimi tertii naturae cessit, senectutem et omnia adeptus, quae nobis hominibus in votis esse solent. Cessit vero tempo-

po-

pore tam opportuno, ut mihi non erepta VOORSTIO divinitus vita, sed donata mors esse videatur.

Et haec quidem verbo attigisse satis erit. Jam vero inde luculenter apparet, vitam VOORSTII, cum, scholarum umbra relicta, in lucem hominum venisset, quasi bipartitam fuisse, ut alteram partem occuparet Sacrorum administratio, alteram munus Doctoris Academici. In illa autem nisi bene et laudabiliter versatus esset, asseverare haud vereor, nec variorum locorum incolas, quorum cura ei identidem offerretur, suffragiis suis eum probaturos, neque *Arenacenses* etiam eum ex *Frisia* vocaturos fuisse, ut sua in urbe rerum divinarum causam susciperet. Sed temporis, quod his degit in rebus, perbreve spatium est, si cum eo comparatur, quo negotiis Academicis vacavit. Novem et quod superat annos juventutem docuit *Franequerae*, plus quam triginta *Lugduni-Batavorum*. Utrumque in locum et magnis venit desideriis expetitus, nec famam minuit praesentia; sed spem in se collocatam explevit, quin etiam superavit. *Lugduni* vero ita se gessit, ut, quod raro fit, ad senectutem usque nominis sui celebritatem tueretur. Quae quomodo facta sint, probe intelligemus, si a vita, quam et in scholis egit,

et

et antistitis Sacrorum muneri praefectus, contemplanda inceperimus.

Videlicet quod arborum et plantarum natura fert, ut sine cultore ad laetam fertilitatem adolescere nequeant, in genere quoque cernitur humano. Quanto fecundiores animi sunt, tanto celerius efferuntur et depravantur, nisi inde a pueritia perpetuo adsint, qui bonis eos doctrinis alant et ingeniorum tanquam ramorum luxuriam premant. Qui rara hac felicitate gloriari possunt, ut, sua sponte crescentes, ad insignem scientiae copiam et ubertatem pervenerint; mirificam tamen rerum, tam faciliorum quam difficiliorum, quin etiam maxime vulgarium, imperitiam haud raro produnt, ex eo profectam, quod praeceptore caruerunt, a quo principiis et rudimentis imbuerentur. Nec, si quis humo, ad quam homines vulgo tamquam catenis alligati sunt, se attollere cupit, praeceptores habere satis est; sed habeat oportet Viros, qui et ipsi, quod profiteantur, penitus imbiberint atque in succum sanguinemque converterint; et facultatem nacti sint cogitata sua perspicuo promtoque sermone cum aliis communicandi. Jam uti VOORSTIUS, a prima aetate, ad initia discendi facienda in scholas missus est; ita, singulari Providentiae di-

divinae favore, tales ei juventutis suae duces obtigerunt, ut sibi ne meliores quidem exoptare posset. Gymnasio *Delphensi* praeerat HOOGEVEENIUS, scriptor ille libri *de doctrina Particularum*, pro sui temporis ratione praeclari et omnino unici, neque in hac majori luce, quam nunc GODOFRIDI HERMANNI aliorumque diligentiae debemus, contemnendi. Ad variam autem et egregiam huius viri eruditionem accedebat oris gratia et venustas, qua juvenum animos ad se suamque familiaritatem alliceret et studiorum iis injiceret ardorem. Hic igitur VOORSTIO, ut ingenium in eo animadverterat ad majora petenda natum, non solum eandem ac discipulo cuique vulgari institutionem adhibuit; sed juvenem, quo prae aequalibus suis ad humanitatem excoleretur, singulari cura et caritate complexus est. Atque nibil penitius auribus ejus et menti inculcare conatus est, quam quod quotidie in proverbio habebat, labore improbo vinci omnia. Ille autem, ingenii viribus strenue et assidue exercitandis, tum vero magnis in vario literarum ac doctrinarum genere progressibus faciendis, tali tantoque praeceptore se dignum praestitit. Ex Gymnasii cancellis in Academiae spatium egressus, adolescens pectus affert, tam ad gravia quaevis et molesta in studiorum

cur-

curriculo suscipienda corroboratum, quam adversus vitiorum illecebras confirmatum: pectus, inquam, quo destitutos juvenes incautos, cum a parentum oculis remoti sibique relicti sint, non raro corrumpi perdique experientia tristissima testatur. Haud pauci enim, ubi maturitas aetatis rudimenta deponere jubet, vel sua, vel aliorum etiam culpa, in iis haerent, quae fere dedecori est, si puerili in ludo ignorantur. Jam Professorum in disciplinam veniunt, ad intelligenda, quae traduntur, imparati et inepti. Neque industria domestica discere sciunt, quod eos in schola fugit. Itaque studiorum fastidio capti, inertiae se dedunt, vel proni in voluptates et libidines feruntur. Nequidquam teritur actas, usque dum, doctrinarum gravitatem prorsus aspernati, ad mercaturam aliave negotia civilia se convertant, vel adeo se in flagitia ingurgitent, ut sibi debilitatem, morbos et ignominiosam tandem consciscant et immaturam mortem. Quotquot autem eorum, futuri haud plane immemores, sero resipiscunt, in trivia plerumque concedunt ad vulgaria quaedam sibi quaerenda, quibus puerorum more memoriter ediscendis studiorum compendium faciant. Ita vero minime VOORSTIUS. Immo unus in paucis fuit, qui, jure suo ex Gym-

Gymnasio ampliorem in locum et ordinem translatus, Academiam vix intravit, quum alteras sibi invenisse videbatur *Athenas*, quarum amoenitatem voluptatibus omnibus praeferret. Literarum ibi Graecarum et Latinarum doctores habebat RUHNKENIUM et VALCKENARIUM, linguarum Orientalium JOANNEM JACOBUM SCHULTENSIUM, Philosophiae DIONYSIUM WYNPERSSIUM. Qui viri, suo quisque in genere facile principes et omnino tales, ut nihil in iis desideraretur, juvenem de meliori nota sibi commendatum ad se suamque familiaritatem ultro et libenter admittebant. Jam horum Virorum providentia et virtute ad omnem humanitatem formatus, scholas adiit Theologorum, quibus quantum ad rerum divinarum cognitionem sibi acquirendam debuerit, ipse in orationibus et scriptis suis multifariam profitetur. Neque ita ille ad ignobile exemplum nonnullorum hominum, qui decurso Academiae spatio, virorum bene de se meritorum negligentiam, cujus conscientia conturbantur, importuna eorum laudatione obtegere conantur: sed ut, fructibus auctus, quos ex praeceptorum suorum tam privata quam publica institutione percepisset, grati, qui sibi inesset, ani-

animi sententiam candide et liberaliter expromeret.

At vero quis VOORSTIO has studiorum duces ad insignem doctrinae amplitudinem sibi comparandam profuturos fuisse crediderit, nisi ipse, eos vestigiis diligenter persequens, se studiis totum dedisset? Quomodo autem hac in re versatus sit, ut scire necesse est, si claritatem ejus a primis inde initiis et causis repetere volumus; ita, dierum, quos vivimus, rationibus consideratis, quaestio est, ad quam respondeatur, dignissima. Sed quo clarius in oculos incurrat illustre, quod de eo capiendum esse ducimus, exemplum; rectam, quam ille ingressus est, agendi viam cum frequentibus superioris nostraeque inprimis aetatis erroribus comparemus! Haud pauci igitur juvenes, ingenio solertes, cum in civium Academicorum ordinem recepti sunt, dici non potest, quanta animi fiducia fallacem se vertant in tramitem. Literarum enim doctrinarumque studia incipiunt, non ab auctoritate Praeceptorum, ut discipulos decet, veneranda; sed ab institutione eorum judicio suo audacter et arroganter subjicienda. Jam huic arrogantiae cum adhaerere soleat proclivitas ad reprehendendum; haud raro fit, ut, quae in scholis tractentur, grandi supercilio

lio despiciant et contemnant. Scholarum autem adeundarum lege, aut magnam partem, aut prorsus neglecta, domi se librorum in lectionem conjiciunt. Sic enim suopte acumine se multo doctiores fore opinantur, quam servile, scilicet, illud imitatorum genus, quod ex praeceptoris ore omnem suam sapientiam petat. Atque hanc superbiam si Novitii spirant, auctores habent Veteranos, quorum tanti pendunt perspicacitatem, ut consilia eorum lubentes et securi sequantur. Hi vero, an (paucis, qui melioris notae sunt, exceptis) de eo inter se consentiant, se institutione scholastica sine magnò detrimento carere posse, equidem haud scio; at plerosque scio eorum, quibus scholarum frequentatio aliquamdiu cordi fuisse videatur, quam primum se lege solutos putent, ab incepto desistere. Nimirum domi, ut ajunt, repetere non coguntur, quae sexcenties audita suisque profectibus longe inferiora suut. Domi studiorum cursus regundi plena et aurea libertas est. Ergo sine ducibus ipsi, quae in antistite Sacrorum requiri censent, suo quisque modo obire. Id magis agere, ut universas et vagas rerum notiones concipiant animo, quam ut singula doctrinae capita deinceps accurate perscrutentur. Non cum discipulis, quos magi-

gi-

gistri morositas detinet et veluti ferula terret, humi serpere, sed *phantasiae* alis se in altum tollere et supra sidera evolare. Inprimis vero se praeparare, ut, ad examinationem subeundam vocati, summis, si fieri possit, mactentur laudibus. Haec enim aevi labes est, ut homines multi levem et fugacem gloriolam insigni illi praeponant et perenni nominis splendori, qui ex reconditae doctrinae amplitudine sero quidem, sed certissime acquiritur. Quam ambitionem quod juvenum in animis, ubi prudenter temperanda sit, ostentandis diversis laudum gradibus, praetermodum incitari video, dicere non possum, quam vehementer doleam. Sed tempore illo, quo VOORSTIUS civibus Academicis adscriptus erat, homines nostrates ingeniis nondum, ad imitationem exterarum gentium tales laboris stimulos admovebant: et ipse sane hujusmodi non indigebat incitamentis, dicam, an follibus, qui pectus discendi ardore inflarent? Neque eum attingere poterat corruptela animorum, cujus fraude hodie satis multi, si, redditis progressuum suorum rationibus, summa laude potiti sunt, aut in certamine literario, juventuti proposito, victoriae praemium reportarunt, ad rectam regiamque studiorum viam deserendam inducuntur. Ergo, ut cum omnibus fere aequalibus

bus suis communem habebat reverentiam Virorum, quorum disciplinae se addixerat; ita in scholis assidue sedebat, doctrinam eorum suspiciens eorumque tanquam ab ore pendens. Mox domum reversus audita diligenter repetere solebat, quo et ab omni parte intelligerentur, et memoriae mandarentur. Attamen adeo praeceptorum suorum servus non erat, ut singula eorum in verba juraret, aut extra illud, quod tradiderant, excurrere formidaret. Immo, si reputo mecum, quae de illo juvene a certis auctoribus accepi, VOORSTIUM mihi intueri videor, quemadmodum juvenem decet ingenuum et liberalem, quae in scholis audivit, suos quidem ad usus convertentem, sed aliunde etiam utilia quaevis petentem. At vero eum, haud immemorem proverbii, quod ad senectutem usque in ore habuerit, non multa legere videmus, sed multum. Libris popularibus ab eo praeferuntur, qui eruditis doctisque viris scripti sunt, quemadmodum tenuibus rivulis largi perennesque fontes. In deliciis maxime habet opera Veterum illorum, qui cum, de argumento quodam commentaturi, tanta non obruerentur scriptorum legendorum multitudine, quantam a nostris hominibus in consilium adhibendam esse novimus, suo praesertim, ut res ipsa loquitur, debuerunt ingenio, quod in lucem ede-

ederent. *Graeciae* dico *Latiique* splendidissima lumina; tum praestantissimos quosque *Ecclesiae*, qui appellantur, *Patres;* denique Sacrorum instauratores, LUTHERUM, ZWINGLIUM, MELANCHTHONEM, CALVINUM, alios. Diligenter quoque in literas incumbit Orientales, Philosophiam, cetera omnia, quae antistiti Sacrorum, ut munere suo bene fungatur, aut omnino necessaria, aut saltem utilia sunt. Quod autem semel didicit, non tradit oblivioni, utpote supervacaneum, postquam judicibus studiorum redditae sunt rationes. *Non* enim *laudi tantum studet*, quam promtis et acutis responsionibus sibi acquirat, *sed sibi suaeque vitae omni:* ut semper et ubique par et idoneus sit ad partes sibi impositas bene sustinendas. Ceterum quod multi ignorare videntur, nullum esse honorem veri nominis, nisi morum integritate ornetur et illustretur, tam penitus in animo defixum esse probat, ut dubium reddatur, utra de causa Juvenis majoris habendus sit, industriae et eruditionis, an pietatis et virtutis.

Jam laus cum fortuna hoc saepe commune habet, ut avide expetita fugiat, minus vero quaesita sponte sequatur. Quod VOORSTIUS expertus est. Mitto favores et plausus, quibus

va-

varii homines civem Academicum exhilararunt et ad continuam studiorum perseverantiam excitarunt. Mitto nominis famam, quam scripta publiceque, priusquam Academiam relinqueret, defensa disputatione de *Correctione Masorethica* nactus est. Sed commemoremus oportet, quae, eodem circiter tempore, RUHNKENIUS, VALCKENARIUS, WYNPERSSIUS, tum communiter Theologi, eorumque nomine SCHULTENSIUS, testati sunt: VOORSTIUM se discipulum praestitisse, qui ingenio, diligentia, doctrina, moribus denique et vitae probitate plerisque antecelleret, cederet plane nemini. Nec Viros illos, cum haec testimonia darent, virtutes Juvenis sermone exaggerasse, sed id, quod verum esset, religiose servasse, brevi post omnino confirmavit sententia, quam et alii homines, quibuscum consuetudinem junxerat, privatim, et publice Sacrorum antistites, quorum in concilio studiorum rationem reddiderat, uno ore de eo dicebant. Mirandum igitur non est, eum, cum Candidatorum Theologiae, vel, uti dicuntur, *Proponentium* ordini adscriptus esset, haud multum temporis consumsisse, priusquam optatam antistitis Sacrorum provinciam sortiretur; atque illam semel acceptam ita administrasse, ut nullo modo negligeret so-

 cie-

cietatem, cum literis ac disciplinis contractam. Vix apud parentes otio semestri usus erat, quum in agrum *Zutphaniensem* vocabatur, ut rerum divinarum curam *Hallae* susciperet. Suscepit vero auspiciis optimis: et decem fere annos, cum hoc in loco, tum in clarioribus et illustrioribus, rem ita gessit, ut illum sibi homines doctorem et ducem gratularentur.

Profecto VOORSTIUS, ut antistitis Sacrorum nomine semper indignos habuit, qui jucunditatas et voluptates vitae muneris officiis praeponunt; ita sibi diligenter a praepostera cavit eorum sedulitate, qui rem sibi mandatam turpiter deserentes, se totos privatis negotiis studiisque involvunt. Nihil igitur ei sanctius et antiquius erat, quam ut assidue perageret quidquid ad salutem hominum, quorum causam susceperat, conferre videbatur. Et tantum aberat, ut diem perditum esse putaret, quem huic labori impenderet, ut maturiore aetate identidem praedicaret bona, sibi suaeque vitae inde exorta, quod omnia officio metiri consuevisset. Quid? quod pietatis et virtutis amor, menti ejus a pueritia insitus, tutum eum praestiterat a tristissima hominum illorum conditione, qui, vita dissoluta in flore aetatis agenda, a Dei CHRISTIque causa se tam alienos faciunt, ut postea provin-

vinciae suae cum alacritate et dignitate praeesse nequeant. Neque tamen VOORSTIUS Sacrorum erat antistes, qui in negotiis publicis omne tempus consumeret, ut otio careret studiis privatis vacandi. Perpetua enim ingenii exercitatione artem sibi acquisiverat celeriter expediendi, quae haud paucis, quippe doctrina vacuis et operae insuetis, ardua longique laboris sunt. Tum literarum et disciplinarum ardor animum ejus inflammabat ad horas quasque subsecivas iis recolendis quasi consecrandas. Unde factum est, ut in familiaritatem earum, quam sibi in scholis comparavisset, se magis magisque insinuaret, et dignissimum se praestaret, qui amplissimo cathedrae Academicae honore condecoraretur. Quod ei destinatum esse haud obscure significarunt viri, docendi provinciam in Academia obeuntes, qui eum per epistolas de scriptis suis consulebant: tum vero anno jam millesimo septingentesimo octogesimo et altero *Ordines Zelandiae*, cum curam ei mandabant literas quasdam, sermone Hebraeo scriptas hostiumque manibus ereptas examinandi, ut sciretur, num quid continerent, unde damnum capere posset Respublica.

Itaque in Academiam *Frisiorum Professor ordinarius Theologiae et Historiae Ecclesiasticae*,

 uti

uti et *Concionator Belgicus* vocatus, antistitis Sacrorum munus *Zierizeae* deposuit. Et quamquam, aliquot annos in *Frisia* versatus, idem munus receperat, cum *Arenacenses* copiam ei facerent, ut se iniquitatibus hominum, qui in turbis civilibus imperii clavum tenebant, honorifice posset subducere; tam brevi tamen post *Lugdunum-Batavorum* migravit, ut, sine ulla vitae mutatione, ex Academia tantum minori et angustiori in majorem et ampliorem translatus esse videretur. Quapropter nunc, misso illo temporis intervallo, videamus, quomodo provinciam ad se delatam plus quam quadraginta annos ornaverit. Sed de rebus, ab eo *Franequerae* gestis, brevior esse volo, ne jam occupem, quae infra dicenda sunt. Vocatus illuc erat VOORSTIUS fatali anno, quo rerum publicarum perturbationes Academiam adeo affecerant, ut certus ei auctor nono vigesimo Decembris scriberet, praecedentem jam initium cepisse mensem, priusquam variarum doctrinarum Professores ad scholas suas redirent, a Theologis adhuc haberi nullas. Theologiam autem, cum advenerat, turpiter jacere videbat, ut ad eam erigendam disciplinae instauratione opus esset. Quod ipse aggressus, bis per hebdomadem, inde a quarto die Martii, lectio-

ctiones publicas habuit *de fontibus et subsidiis ad disciplinam Theologicam excolendam inprimis necessariis*. Post ferias vero aestivas varias Theologiae partes in schola tractare incepit. Collocatus nunc erat tanquam in seminario, unde, ad maturitatem perductus, in Academiam *Lugdunensem* transferretur ad studiorum fructus uberrime edendos. Nimirum tantum abest, ut Academiae minores vel Athenaea civitatibus oneri sint, ut ad literarum doctrinarumque florem et splendorem insigniter conferre possint, si ingenia ibi exercitentur et praeparentur ad docendi provinciam amplioribus et illustrioribus in locis capessendam. Quod tamen ut ex voto succedat, necesse est, institutioni juventutis, quae in Academiis illis et Athenaeis versatur, nullos alios praeficere quam viros bonae spei atque exspectationis: deinde vero eos, si officio aliquamdiu bene functi sunt, ad loca vacantia occupanda prae hominibus novis et doctrinarum tradendarum insuetis eligere. Atque ita sapienter VOORSTIUS, cum *Franequerae* dignum se praestitisset, qui majoribus honoribus condecoraretur, *Lugdunum-Batavorum* vocatus est. Qualis enim quantusque inter *Frisios* in variis Theologiae partibus tractandis et antistitibus Sacrorum formandis fuerit, locupletes nobis testes

sunt

sunt ABRESCHIUS aliique Viri doctissimi, qui epistolarum commercium cum eo habuerunt; inprimis vero discipuli, qui, ex schola ejus profecti, non solum munus suum laudabiliter gesserunt, sed etiam scripta ediderunt, quibus nominis famam sibi comparabant. Quis, quaeso, non meminerit Viri, haud minus animi candore et simplicitate, quam eruditione clari, LUCAE SURINGARII, qui, postquam viginti fere annos Theologiam *Lingae* docuerat dignusque judicatus erat, cui cathedra *Regiomontana* offerretur, *Lugduni-Batavorum* cum praeceptore suo communem Theologiae provinciam occupavit et ad annum praecedentem egregie administravit? Hoc vero VOORSTIO maxime debuit, ut omnem, qua late patet, Theologiam una comprehensione complecti anniteretur. Nec spem ad irritum cecidisse eventus docuit, cum *Lingae*, collegarum suorum altero mortuo, altero ex urbe egresso, necessitas eum urgebat, ut omnem tractaret disciplinae amplitudinem. Silentio autem praetermittere nolo dotes, cum natura ei ingenitas, tum arte acquisitas, quibus suis se commendavit discipulis: aptam in tradendis variis Theologiae partibus et concinnam brevitatem; singularem quandam mentis suae perspicue explicandae facultatem; constantem

do-

doctrinarum ita tradendarum, ut ingeniis tardioribus succurreret, omnibusque gratissimam consuetudinem: ut nulli miremur, plerosque juvenes hujus disciplinae studiosos, ad ediscenda, quae leges sibi praescriberent, potissimum secutos esse, quod ille auditoribus in schola dictasset. Jam harum dotum cum et aperta exstent vestigia in scriptis ab eo editis, vehementer dolendum est, quod valetudinis intercessit imbecillitas, quominus plura juris publici faceret. Nec tamen SURINGARIUS, cum jam corpore fractus erat, sibi temperare potuit, quin, VOORSTII rebus humanis erepti imaginem adumbrare inciperet; sed, vix inchoato opere, Virum optimum dura et intempestiva mors oppressit, patriae, Academiae, collegis, discipulis sui relinquentem desiderium.

Sed ex diverticulo, quo discedere jussit pietatis officium, in viam redeundum est. Privatam VOORSTII publicamque vitam, *Franequerae* et alibi, talem fuisse vidimus, ut vix aliter fieri posset, quin *Lugduni-Batavorum* magnam sui exspectationem, et moveret, et expleret, et quoque superaret. Nunc verbo attingere satis erit, quae ipse deinceps narravit. Nimirum hac in urbe, cum temporis difficultates vetarent,

rent, ne quis Theologiae praeesse diceretur, *Antiquitatis Christianae et Historiae Dogmatum* Professor creatus est; brevi post *Exegeseos* etiam *Novi Testamenti.* Theologis vero loco suo restituto, horum in ordinem se coöptari vidit. Deinde ab anno hujus seculi quinto decimo, cum officium singulis hebdomadibus pro concione dicendi huic ordini imponeretur, suis quoque dicendi vicibus functus est, donec Bibliothecae Academicae praeficeretur. Tum his partibus ad PALMIUM, oratorem eloquentiae principem, delatis, se totum novae dedit praefecturae atque in illa perstitit. Hoc unum, quod pudor eum silere jussit, dictis addendum videtur, octo jam annos, antequam *Lugdunum-Batavorum* veniret, praeceptorem ejus doctissimum, AEGIDIUM GILLISSEN aliosque viros graves voluisse et suasisse, ut cathedra *Lugdunensis* ei offerretur. Sed merita illa praeclara, quibus, domicilio hac in urbe posito, et alios homines, et juventutem maxime sibi devinxit, hîc mihi locus est data opera explicandi.

Theologiam tantae amplitudinis esse, ut nulli alii cedat disciplinae, non vana superbia nostri jactant homines, sed una omnium vox est, quotquot idonei habentur judices. Nam quamvis ea doctrinis divinitus acceptis tanquam funda-

damento nititur, similis tamen aedificii est, cujus ad structuram, ne pars ulla minus bene curetur, variae artes adhiberi debeant. Et praefectus quidem operi, licet in eo omnium illarum artium plena numerisque absoluta non requiratur peritia; singularum tamen, quae a fabris sibi subjectis tractantur, necessitudinis mutuae causa, tantum teneat oportet, ne ipsum ulla in re deficiat judicium. Ita et, qui Theologiam profiteatur, necesse est, singularum ejus partium tam intelligentem esse, ut de universa disciplina prudenter judicare possit. In omnes vero aequali modo penetrare, equidem vereor, ut vel acutissimis viris per mediocritatem humanam liceat. Primum duo, ut vulgo distinguuntur, religionis adeundi sunt fontes, uterque latissime patens, uterque vocem divinam referens. Alter continet, quae Deus hominum in animis per rationem iis inditam loquitur; alter, quae per Literas Sacras sectatoribus CHRISTI tradit. His ex fontibus ut petamus quidquid ad religionem pertinet, primum Philosophiam ejusque historiam adire debemus. Deinde *Hermeneuticae* et *Criticae* cognitione opus est; tum vero assidua ad regulas earum in usum adhibendas exercitatione. Periculum autem evitare, ne pro doctrinis saluberrimis perversa opinionum commen-

menta sumantur et imbibantur, labor profecto est, jam ipse haud vulgarem rerum peritiam, ingenii subtilitatem, judicandi libertatem, quin totam Theologi vitam sibi postulans. Sed inde quoque magna oritur difficultas, quod variae, quae per rationem divinitus traduntur, doctrinae Literarum Sacrarum doctrinis e regione obstare videntur. Ergo Theologi primum est ostendere, quamvis hominum cupiditate vel stultitia alterae alteris opponantur, nullam tamen repugnantiam veri nominis hîc reperiri; deinde divina ab humanis solerter et religiose secernere; porro in locos suos congerere quidquid revera a Deo profectum est; tum quoque haec singula accurate explicare, argumentorum pondere probare, ab ineptis contradictionibus vindicare. Hinc quisque intelligit Theologo magni laboris mandata esse officia, quorum quodlibet gravius sit, quam ut unquam nova ad disquisitionem suppeditare desinat. Verum enim vero disciplina nostra ne his quidem limitibus circumscripta est. Immo memoria temporum, inde a rerum Christianarum, quin etiam generis humani incunabulis, repeti et veluti in tabella illud omne proponi debet, quod et hominum levitate vel protervitate depravatum, et Dei providentia et cura in melius mutatum esse, antiquio-

quiora et recentiora rerum monumenta testantur. Nam sic demum errores et superstitiones a veris divinisque doctrinis distinguere, et ad spectaculum bonorum, quae religio Christiana terrarum orbi attulit, erecti, huic dono divino pretium suum statuere possumus. Religio autem illa cum non privatis Theologorum commodis, sed communi omnium hominum saluti destinata dataque sit; summopere, adjuvante Deo, cavendum est, ne alios ignorantia, alios superbia, aut superstitio, aut peccandi libido avertat, sed eadem omnes fides CHRISTO habita agat. Atqui nisi suo tempore docentur Juvenes Academici, quomodo cautio illa adhibenda sit; haud paucis eorum accidet aliquando, ut falsis suis opinionibus fraudem hominibus faciant, aut ipsi certe, in salebris haerentes, aliis praeire nesciant. Quocirca triplex iis a Theologo monstranda est via: auditores, nempe, oratione soluta, perpetua et populari ad pietatem et virtutem perducendi; pueros atque adolescentes rerum divinarum notitiis studiisque imbuendi; sectatores denique CHRISTI curae suae mandatos, cum universos, tum singulos, ad veri rectique normam regendi.

Jam saepe secum reputans quod iu ore fuerat HIPPOCRATI, artem longam, vitam brevem es-

esse, hac ex Theologiae amplitudine VOORSTIUS quasdam sibi partes elegit, in quibus tanquam habitaret. Et sane temporis, quo ille munus suum *Lugduni-Batavorum* capessebat, tales erant rationes, ut hactenus animo magis obsequi posset, quam potuisset *Franequerae*. Principem igitur locum attribuebat librorum Novi Testamenti interpretationi, cum *Hermeneutica* et *Critica* conjunctae. *Dogmaticae*, quae dicitur, locum statuebat proximum. Et has quidem partes tanti habuit, ut eas diligenter persequi nunquam cessaret, et nihil in scholis frequentius aut majori cum voluptate tractaret. Sed quantum operae tamen ceteris navaverit, manifesto declarant illa, quae identidem auditoribus tradidit. Me adesse memini, cum ante tringinta quinque annos, eodem mense Junio, quo oratione publice habenda munus suum auspicatus esset, docere inciperet. Incipiebat autem ab argumento nobis omnibus novo et inaudito, *Dogmatum*, quae dicitur, *Historia;* et ita quidem, ut sententias narraret, quas antiquissimi nominis Christiani scriptores, seu *Ecclesiae Patres*, de CHRISTI natura professi essent. Quo doctrinae suae tanquam specimine dato, post ferias aestivas Theologiam, et *Dogmaticam*. et *Exegeticam*, et *Pastoralem* aggressus est. Sequenti an-

anno Academico *Antiquitatem* quoque explicuit *Christianam:* aliis temporibus Theologiam, et *Moralem*, et *Biblicam.* Omnia vero VOORSTIUS peregit ita, ut alia quidem auditoribus prae aliis placerent; sed nihil tamen traderet, quod primoribus tantum ipse labris gustasse videretur. Nonnulla autem, quae *Lugduni* intacta relinquebat, hac una de causa tractare noluit, ne alienam in provinciam invaderet; uti *Historiam Societatis et Religionis Christianae*, quam jam narraverat *Franequerae.*

Quo melius autem intelligatur, cur VOORSTIUM doctrinarum, quas auditoribus suis impertiret, nec varietas defecerit neque ubertas; haud ab re erit, oculis in vitam ejus domesticam conversis, quae intus egerit, observare. Nimirum probe novit, Professoris titulum sibi haud valde decori esse, nisi muneri suo ipse decori sit: atque hoc tantum fieri posse, si sedulo diligenterque curet, ut semper ei praesto sint, quae communem afferat in usum. Labore igitur haud intermisso, nunc ex Scriptorum Orientalium, nunc ex Patrum Ecclesiasticorum, nunc ex Theologorum antiquiorum opibus et veluti thesauris congerit, quae sibi suaeque provinciae prodesse videntur. Neque, ut subinde fit,

fit, recentioris memoriae Theologos vituperat, sed praecipuorum quorumque libros, sive ad Veterum placita defendenda, seu ad novas sententias propagandas scripti sunt, diligenter perscrutatur, boni instar judicis rem unamquamque suo momento ponderans. Graecorum autem et Romanorum scripta, ut juveni magnae delectationi fuerunt, sic gratia sua et venustate virum, si quando occupationum ei datur relaxatio, haud frustra ad pristinam secum familiaritatem renovandam alliciunt. Quod ei sane, si ad antiquiorum temporum mores attenderimus animum, magnae laudi ducere haud recusabimus. Quamquam enim haec patria nostra, inde a Sacrorum instauratione, Theologis abundavit literarum humaniorum studiosissimis ac peritissimis; haud pauci tamen fuere, qui, ad res divinas docendas in cathedra collocati, Veterum scripta, utpote profana, gravitate sua longe inferiora haberent. Quibus igitur atro carbone notatis RUHNKENIUS, ceterum acrior hominum hujus ordinis censor, ALBERTII doctrinam summopere praedicavit. Jam vero ad ALBERTII similiumque virorum exemplum VOORSTIUS Graecorum et Romanorum libris, non solum voluptatis, sed etiam utilitatis causa pascitur. Et multum utilitatis hinc ad Theologum red-

redundare posse, nemo paulo humanior est, qui negaverit. Cogitando nobis fingamus rudem et inficetum hominem, qui scholam et literarum studium una deseruit! Quid? si ad religionum causas et origines explicandas vocatur? si quaestiones ab eo agitandae sunt de religione, quae dicitur, naturali? si CHRISTI doctrina cum Graecorum et Romanorum placitis comparanda est? Nonne vel serviliter ab aliorum arbitrio pendebit, vel misere in luto haerebit? Nonne idem ille, ubi Literas Sacras, praesertim Novi Testamenti scripta, interpretari debet, praesidio carebit ad officium suum bene et perite explendum necessario? Et frustra, puto, ad illam orationis adspirabit elegantiam, quam Theologo deesse, si antea lenius reprehensum est, hodie omnes prope indigne ferunt. Optime igitur VOORSTIUS rebus suis consuluit, quotiescunque per horas subsecivas ad Graecos Latinosque redibat. Quantum diligentiae autem scholis suis adhibuerit, infra commemorabimus. Sed uti tanquam in venis ejus et medullis insidebat, quod PRODICUS ait apud XENOPHONTEM, hominibus sine labore et studio nullum bonum veri nominis divinitus dari; ita persuasissimum ei erat, laboris studiique fructum cum maxime pendere a ratione, qua peragantur.

Et

Et sane homines sunt, quos in artibus ac disciplinis consenescere neque ulterius tamen proficere videamus, quam ut paulo plus sapiant, quam leve et imperitum vulgus. Nam parum est aetatem consumere legendo; sed qui operae pretium facere cupit, de sensu eorum, quae lecta sunt, secum ipse continuo meditatur. Quod se minus intellexisse animadvertit, non intermittit notare, ut data occasione denuo experiri possit, quantum valeat ingenio. Cetera, priusquam in mentem penetrant, judicio subjicit: quae probanda videntur, mandat memoriae. Identidem quoque ad loca jam ante tractata redire solet, ut bona quaevis, quae ibi se offerunt, iterum iterumque recolat suumque in usum convertat. Nimirum eodem modo comparati sunt libri atque homines, quorum si in mentem vitamque penitus introspicere volumus, amicitiae consuetudo cum iis jungenda est. Sed quoniam dotes et virtutes amicorum, etiamsi procul a conspectu remoti sint, memoriam minus celeriter effugiunt, quam quae accepimus legendo; ei succurrere debemus commentariis, seu, ut vocari solent, adversariis, quorum in locos et ordines lecta conjiciantur. Et hoc scriptitandi genus, ut alia affert commoda et emolumenta, ab ERASMO aliisque Viris Doctis copiose exposita, ita di-

dici non potest, quantopere eo diligenter ad studia persequenda excitetur, qui, notata sua subinde relegens, se antea magni habuisse videt, quae nunc, utpote vulgaria, flocci pendat et despiciat. Verum huic tamen scribendi negotio modum statuendum esse, nemo prudens inficiabitur. Novi homines, qui se CROESO ditiores fore putent, si ingentia possideant commentariorum volumina. Ergo memoriae jura sua detrahentes eamque torpescere sinentes, quod secum portare debent custodiunt literis. Gravioribus promiscue adjiciunt, quae oblivisci satius est quam meminisse. Nec quaerit illa sedulitas, num talia sint quae adscribuntur, ut lucrum aliquando afferre possint; sed haec una et perpetua cura est, ut docta supellex usque accrescat. Ceterum otio plerumque carent his ex opibus sumendi, quod ad commune bonum digerant et in lucem edant. Itaque si miser habendus est senex sordidus et avarus, qui nihil aliud agit, quam ut lautam nepotibus hereditatem relinquat; multo magis mihi homines illi miserandi videntur, quippe laborantes et sudantes, ut muribus aliquando et blattis pabulum praebeant, quod mordaci dente devorent. Jam VOORSTIUS quam egregie, et sibi a prava illa sedulitate cavere sciverit, et rectam stu-

diorum rationem secutus sit, cum luculenter doceant rerum testimonia, verbis dicere nihil attinet. Quemadmodum autem ille se in ceteris ad Veterum maxime exemplum composuit, sic in eo etiam, ut parceret tempori. Accepti erant ei omnes, quotquot adibant, ut de rebus alicujus ponderis colloquerentur. At fores tanquam obserabat ad importunitatem eorum arcendam, qui, ut ipsi diem nugis et ineptiis consumere solent, sic, furibus pejores, non aurum vel argentum, quod facile reddi potest, sed irreparabile vitae tempus eripiunt. Ita et congressus hominum nullo quidem modo fugiebat; sed nihil magis fastidiebat, quam confabulandi causa per circulos vagari. Ut enim carissimas habebat horas, quas sibi per muneris negotia in solitudine ad studia impendere licebat; sic animo infixum tenebat, vitam sibi divinitus datam esse, ut rei Christianae, cui se devovisset, docendo et scribendo prodesset.

Quaenam scripta VOORSTIUS in lucem ediderit, alibi narratum est. Nonnulla sunt popularia, pleraque aut viris doctis destinata, aut hominibus saltem cultioris ingenii. Pars, antequam prodibant in publicum, jam a judicibus peritis lecta et probata erant: uti disputationes societatum *Teylerianae* et *Haganae* operibus inser-

sertae. Orationes et aliae, cum habebantur, aut typis expressae hominum manibus versabantur, plausum tulerunt, omnium vero maxime oratio *de* JOANNE AUGUSTO ERNESTIO, *optimo post* HUGONEM GROTIUM *duce et magistro interpretum Novi Foederis*. Hoc quidem vir optimus, ut ipse alicubi declarat, sibi non voluit dicendo aut scribendo, ut novam induceret Theologiam; sed veterem et conservare, et, ubi depravata erat, emendare maximopere conatus est. Persuasissimum nempe sibi habebat, Deum se hominibus, ut tanquam de humo ad altiora erigantur, dupliciter patefacere; ratione animis eorum indita, et Literarum Sacrarum doctrina, extraordinario modo iis allata: qui hoc negarent, vel in dubium vocarent, in religionem veram et beneficio coelesti acceptam iniquos et strenue refellendos esse: sed hanc religionem purgandam esse errorum et superstitionum sordibus, quas aetatum praecedentium diligentia nondum eluisset: atque ad illud negotium nihil magis conducere, quam librorum Novi inprimis Testamenti interpretationem Grammaticam et liberam imperio Theologiae: ipsius autem Theologiae, et materiam, cum multa ei adjecta essent, quibus minus ornaretur, quam oneraretur, prudenter contrahendam esse, et formam,

 quo

quo convenientior ea aliis redderetur disciplinis, luce et nitore indigere. Jam vero hanc mentem suam VOORSTIUS non solum saepe enunciavit, sed in scribendo etiam secutus est. Et hactenus sibi omnino constitit, sive vetera sibi tuenda, seu meliora pro iis substituenda videbantur. Verumtamen si inter se comparamus ea, quae diversis temporibus scripsit; in oculos incurrent salutares, quos studiorum assiduitas habet, effectus. Sed quod CLEMENS ait *Alexandrinus*, nullum sibi hominem tam fortunatum videri, ut nemo ei contradicat, VOORSTIUS quoque identidem expertus est: at mos ejus erat, ut lites et contentiones declinaret, quidquid sententiae suae opponerent alii. Si quis vero ei, sinistris rumoribus spargendis, coronam multa cum laude haerentem capiti detrahere conabatur, tempori causam suam committere maluit, quam captiones refellere. Et sane, quae obscuri homines illustri viro objecerunt, jam diu oblivio delevit: scripta vero ejus, quibus injuria illata est, ubique in honore habentur.

Hujus loci et hoc in numero praesertim sunt ejus et *Annotationes in loca selecta Novi Foederis*, et *Animadversiones de usu verborum cum praepositionibus compositorum in Novo Testamento:* parva quidem scripta, sed magnae utilitatis.

Nam

Nam juventuti non solum, cum quantus doctrinae apparatus ad Literarum Sacrarum interpretationem requiratur ostenderet, diligentiae stimulos admovit; sed suo etiam exemplo viam et rationem monstravit hujus tam difficilis rei ab omni parte accurandae. Deinde varia Literarum illarum loca, sive data opera, seu obiter, ita ab eo tractata esse, ut lucem iis afferret, ne illi quidem fateri recusabunt, qui plus uno nomine cum eo dissentiunt. Extraneis autem in regionibus Viri Docti et alias horum librorum virtutes laudarunt, et admirabilem, ut quis ait, doctrinam, eandemque non nimiam et supervacuam, sed suo loco accommodatam. Inprimis celebritatem nacta est duplex VOORSTII annotatio, altera de 1 JOANNIS *Epistola*, Capite III, versu 2; altera de locis *Epistolae* PAULI *ad Romanos*, in quibus formula δικαιοσύνη Θεοῦ legitur. Hanc autem formulam de *singulari benignitatis Dei* interpretatus est *demonstratione*, seu *favore*, quo hominibus vitiosis et poena dignis omnia peccata condonet iisque adeo omnino bene velit et uberrimum quorumcunque, ad recte et beate vivendum, bonorum usum, addita spe beatitatis aeternae, largiatur. Quod tamen cum omnes Viri docti non concederent ex Apostoli mente scriptum esse; ab uno et altero contra ejus inter-

terpretationem disputatum est. Et hujusmodi quidem disputatio, ut in omni disciplina haud dubie ad verum magis magisque investigandum confert; ita, in ea instituenda, veniam quis est, quin ultro dederit et vicissim petierit? Sed jure meritoque indignamur arrogantiam, qua judices se jactaverint homines semidocti, quorum oculis opiniones a pueritia imbutae caliginem offudissent. Quid? quod prudentia viri, qui, missis Theologorum argutiis, ad sensum verborum explorandum, legum tantum Grammaticarum rationem habuerat, nonnullorum in offensionem adeo incurrit, ut, studio et ira agitati, ad plebis, scilicet, tribunal hanc litem deferrent? Ipse vero quam multa ad causam suam tuendam dicere potuerit, frequens me docuit annotatio, ab eo in chartam conjecta: sed a recepto tacendi more nunc quoque discedere noluit. Nimirum oleum et opera disputando perditur, ubi controversiam ad se pertinere putant homines, quibus, ut LACTANTIUS ait, auctoritas vetustatis tanta est, ut inquirere in eam scelus esse dicatur. Deinde hujusmodi hominibus scribendo obviam ire, nihil aliud saepe est, quam irarum ignibus praebere pabulum. Quod si bene tenerent omnes, equidem credo et confido, rixarum plerarumque, quae nunc imprudenter alantur, memoriam brevi extinctum iri. Ceterum

rum MUNTINGHIUS aliique Viri Docti VOORSTIUM tam bene interpretatum esse judicarunt, ut ei omnino vel magnam certe partem assentirentur. Atque ita interpretationem verborum JOANNIS maxime tritam et usitatam a nemine tanto argumentorum pondere commendatam esse reperi, quanto ille altera in annotatione usus sit. Silentio autem non praetermittendum est, has disputationes scriptas et in lucem editas esse, cum dolore acerbissimo nostrates adeo jacerent oppressi, ut haud pauci a studiis fere abhorrentes in otio hebescerent et languerent. Tempora dico infelicissima, quorum memoriam renovare non possumus, quin ante oculos obversentur totius prope Europae populi, intolerabile trahentes victoris superbi jugum. VOORSTIUS vero calamitatem quidem, et communem luxit, et suam passus est; sed hoc tamen sibi meritum comparavit, ut, provincia sua strenue tuenda, ostenderet, se de rebus humanis non desperare.

Sed nihil fortasse scripsit VOORSTIUS, quo melius meruisse censendus sit, quam *Compendium Theologiae Christianae*, cujus virtutes viros inprimis ex ejus disciplina profectos lectio docuit iterum iterumque repetita. Grata nempe brevitate complectitur omnia, quae Theoreticam, uti dicitur, Theologiae attingunt partem, pro-

uti

uti recentiori tempore, missis quaestionibus frivolis et jam diu obsoletis, tractari solet. Distinguendi quidem caret notis, sibi mutuo, respondentibus, quibus olim rationis Analyticae fautores singula orationis membra tanquam limitibus suis continere consueverunt; at forma tamen comparata est, quemadmodum comparata esse debet, ubi non lectoribus eruditis explicatae doctrinae, sed juventuti principia earum traduntur, ut explicationem in schola accipiant. Ex eo autem, quod tam religionis, quae dicitur, naturalis et divinitus patefactae capita, quam sententiarum probandarum expositio et improbandarum refutatio, quae alibi seorsum occurrunt, hîc in ordinem coacta et conglutinata sunt, haec duo praecipue oriuntur commoda, ut et singula melius secum mutuo comparari, et universa facilius animo comprehendi possint: ne dicam, hac rerum illarum collatione amoveri argumenti exilitatem, quam parere solet separata earum tractatio. Praeterea auctor, ut alienissimum se praestat ab audacia hominum, qui doctrinae Christianae finibus expellere jubent omnia, quorum causas et rationes mente sua imbecilla assequi non possunt; sic religioni aliorum, qui conciliorum decretis Veterumque placitis serviliter adhaerent, modeste se opponit in-

ingenuumque illud et liberale explicat judicium, quo supra eum valuisse vidimus. Nec praetermittendum est, orationem ad sermonis latini elegantiam et nitorem multo magis exactam esse, quam in plerisque hujus argumenti libris. Haec autem cum laudabilia sunt, tum laudis accedit cumulus; si ratio habetur temporis, quo Compendium illud scriptum est. Nam ante seculi praecedentis exitum *Franequerae* jam VOORSTIUS opus exorsus est: postquam autem aliquamdiu, et illa in urbe, et *Lugduni-Batavorum*, annotata sua cum discipulis dictando communicaverat, anno millesimo octingentesimo octavo ea juris publici fecit. Praecesserat illum MUNTINGHIUS, longiore temporis intervallo antea BROESIUS, ut pro usitatis MARCKII aliorumque libris meliores substituerent suisque aequalibus magis accommodatos. Et uterque quidem laborem haud poenitendum susceperat. Sed Compendio VOORSTII virtutes quoque inesse, quae ejus propriae sint, probe intelligent omnes, qui cum illorum Virorum Doctorum scriptis comparaverint ea, quae ad ejus laudem diximus. Inprimis notandum puto, in altero doctrinas tam copiose expositas esse, ut magis publici sit usus, quam scholastici; alterum contra, ut ipse auctor professus est, extre-

tremas tantum tenuesque rerum lineas proponere. Postea his in regionibus nemo ullus (nam LOTZIUM excipio et secerno) scriptionem hujus generis et argumenti in medium attulit: sed alii ad suam quisque normam juventuti Theologiam tradiderunt; alii, ut *Groningae* YPEJUS, *Lingae* et *Lugduni-Batavorum* SURINGARIUS, VOORSTIUM ducem secuti sunt: quod me etiam fecisse haud poenitet, quoties ad hanc disciplinae partem redirem. Itaque mirum non est, hujus Compendii editionem bis repetitam esse: sed priusquam auctor negotium typographis tradebat, librum ipse a capite ad calcem attento recensuit diligenterque correxit, quae corrigenda esse, aut ipse viderat, aut ex aliorum admonitione intellexerat. In tertiae autem editionis praefatione haud obscure significavit, quanto plura ad limandum emendandumque scriptum suum facturus fuisset, si florem aetatis senectute fractae revocare posset. Sed si quis nostratium aliquando novam Theologi institutionem scribere aggrediatur, equidem fore auguror, ut in Compendio VOORSTII satis multa deprehendat, a quorum norma et ratione sibi haud longe vel nullo modo discedendum esse videatur.

Saepe me audire memini, qui VOORSTIUM quererentur scribendi, ultra quam par est, parcum

cum et temperantem esse. Istorum vocibus meam ipse plus semel miscebam. Sed primum animadvertendum est, verecundiam ad libros in lucem edendos aliis alios difficiliores facere. VOORSTIO scrupulum injècit cogitatio, quae PLINIUM jam exercuerat, quam sit magnum dare aliquid in manus hominum. Proinde eorum aspernabatur temeritatem, qui, scribendi cupiditate tanquam insanabili laborantès morbo, quidquid menti occurrerit, statim in vulgus emanare jubent. Et sane, nisi nominum splendore nobis fraudem fieri patiamur, saepissime videbimus, qui multa scribant, multa quoque aliunde describere, sibique judicandi levitatem permittere, quae mater et nutrix turpissimorum errorum est. Deinde si reprehendi meretur, qui paucorum tantum librorum auctor est, eandem culpam, in qua fuit VOORSTIUS, sibi hac in patria nostra plerique contrahunt Viri Docti, Academico docendi muneri praefecti. Sed eos nihil committere, quod vitio vertendum sit, luculenter patebit omnibus, qui hujus, ut ita dicam, parsimoniae causas cognoverint. Longissime enim hinc absunt literarum ac disciplinarum incuria, officii negligentia, ignavia, mollities, cetera, quae virum dedecorant ad summos honores evectum. Paucos reperies, quibus volu-

luptate in studiis habitandi ulla vitae voluptas major aut superior sit. Sed vires animi intenduntur ad ea, quae in scholis tractari debent, commentanda, emendanda, amplificanda, ornanda, ut juventuti salubriora sint, quo crebrius repetantur, nec novitatis gratia unquam placere desinant. Huic igitur negotio omnis opera navatur, omnis diligentia adhibetur, aliis, quibus otium est, relicta librorum multiplicatione. Nec frustra illud agi testatum est judicio intelligentium hominum, quibus, aut scholis nonnunquam interesse, aut legere et perpendere contingit, quae ibi discipulis traduntur. Et varia laboris egregie peracti et maturi documenta, quae nunc oblivione facile obscurentur, ad posteritatis memoriam perlatum iri puto, nisi auctores nimia saepe modestia coliiberet, quominus ea, quae praestantiora sunt, quam ut scholarum in umbra lateant, aut ipsi tandem in lucem ederent, aut heredibus post mortem suam edenda committerent. Jam haec si consideramus, VOORSTIUS multo magis laudandus, quam vituperandus est, quod plura non reliquit typis expressa. Ante multos jam annos exierat rumor, virum egregium parare commentarium, quo Euangeliorum origines data opera explicaret. Huc spectat, nisi fallor, quod, triplici sua an-

no-

notatione in loca selecta Novi Foederis *Heidelbergam* missa, ipse CREUZERO scripsit: se alia eaque graviora jam diu cogitare, in quibus, restituta pace et rebus publicis in ordinem redactis, alacriori animo elaboraturus esset. Quod leve non fuisse promissum, firmiter mihi persuasit inspectio magnae multitudinis chartarum, in quibus dicta singulorum Euangelistarum inter se comparare et id agere inceperat, ut aliquando propositum efficeret. Nec incepti persequendi aut vires ei defuerunt, aut voluntas; sed timorem menti injectum intercessisse arbitror, quominus inchoatum absolveret. Postea autem *Selecta Patrum Graecorum Opuscula* cum annotatione in lucem edere constituit, et ne spem falleret eventus, tantum huc contulit operae, ut subinde de eo diceretur, quod apud TERENTIUM CHREMES de MENEDEMO dicit, ipsum tempus non remittere nec se respicere. Sed nec ingravescentis aetatis difficultas diligentissimo viro concessit, ut unam *Selectorum* JOANNIS *Chrysostomi* editionem, quae in publicum prodiit, pro voto et instituto suo curaret; neque ei, dum vegetus erat, alia, quae in mente habebat, propter temporis brevitatem aggredi licuit. Nam, si a munere vacabat, eum, praeter res domesticas, occuparunt discipulorum, et qui scholis ejus interfuerant

an-

antea, et qui etiamnum intererant, haud intermissae curae; officia societatibus, quibus adscriptus erat, praecipue *Haganae*, praestanda; frequens, quod cum nostratibus non solum, sed etiam cum Viris Doctis extraneis habebat, epistolarum commercium. Quid plura? Experti norunt omnes, quam exiguum sit temporis spatium, quod suum dicere possit Doctor Academicus, in partibus suis agendis strenuus et assiduus; inexpertis hoc ut credant, vix aut ne vix quidem longa oratione persuadebitur.

Sed etiamsi VOORSTIUS nihil scripti reliquisset, magnorum tamen meritorum causa dignissimum esset nomen ejus, quod pie veneraremur. Ut enim, multis Veterum, qui scripta varia ediderunt, in oblivione jacentibus, SOCRATEM, auditoribus tantum docendis, immortalitatem consecutum esse accepimus; sic ad VOORSTII famam conservandam discipulorum, qui ex ejus schola prodierunt, ingentem commemorare numerum sufficit. Nimirum BROESII successor in cathedra, non solum nactus est provinciam, qua ille decesserat, sed novam et ipse sibi scholam condidit. Quod si quis VOORSTIO paratum esse dixerit benignitate fortunae, quae occasionem ei offerret magnae sibi celebritatis in Theologia acquirendae, equidem non valde gra-

va-

vabor. Ut enim *Franequerae* Theologiam invenerat jacentem; ita *Lugdunum-Batavorum* vocatus est, ut ei vacillanti succurreret. Hîc autem duos tantum habuit collegas, TE WATERUM et RAVIUM, viros quidem claros et egregios, sed quorum alteri Religionis et Societatis Christianae historia prae ceteris et mandata, et in deliciis erat; alter Literis Orientales haud secus ac Theologiam curare debebat. Itaque illi ab initio via patebat juventuti varias disciplinae partes tradendi eamque sibi devinciendi. Neque tamen credo, hanc fortunam VOORSTIO valde profuturam fuisse, nisi ipse praeclaris virtutibus excelluisset. Probe memini illius temporis, quo, cum literis humanioribus consuetudine contracta, ad Theologiam accessi. BROESIO me in disciplinam tradebam, sed infaustissimo omine, cum Vir optimus postridie ejus diei, quo illum primum salutaveram, fatali morbo opprimeretur. Meliori successu ceteros adibam, quos mihi superesse laetabar, praeceptores: et haud sine utilitatis fructu eos docentes audiebam: sed illi, ut partem tantum tradebant rerum, quas appetebam animo; ita damnum mihi sarcire non posse videbantur, quod mortis atrocitas apportaverat. Tum infantiae meae relictus neminem habebam, qui rectam mihi mon-

monstraret studiorum viam et rationem. Neque illo jam tempore librorum, ad captum juventutis scriptorum, tanta aut exstabat, aut cuivis parata erat copia, quanta hodie cives Academici; pars sobrie utuntur, pars misere abutuntur. Rerum igitur divinarum, quam perceperam, cognitio satis erat exigua. Sed, si quis unquam, opportune mihi meisque sodalibus venit VOORSTIUS. Scholas ejus inter primos adeo. Novi velut orbis arcana mihi deteguntur. Ut ab ore Viri totus pendeo! Ut voce ejus et exemplo ad laboris et exercitationis assiduitatem quotidie excitor! Ut identidem mihi fidum et perpetuum gratulor studiorum ducem et comitem, quo praeeunte demum ab erroribus tutus Academiae spatium decurrere possim! Ingratus esse nolo manibus virorum, qui mihi multiplicis boni auctores exstiterunt: sed si animi candor sententiam dicere jubet; dicendum est, me quidquid de Theologia accepissem, cum scholis egrederer, VOORSTIO potissimum debuisse.

Quod mihi obtigit, experti quoque sunt sodales, qui mecum Theologiae studebant. Itaque rogati nomen doctoris, cujus disciplina nos praecipue ad sacra obeunda formaverat, VOORSTIUM profitebamur. Sequebantur optimi quique eorum, qui, nobis proxime succedentes, Aca-

de-

demiam *Lugduno-Batavam* adierant. Fere omnes tandem, quotquot hinc, suam quisque in provinciam, proficiscebantur, ejusdem praecipue viri se dicebant discipulos. Et tempore Reipublicae in servitutem NAPOLEONTIS redactae, cum hominum quorundam malevolentia eum impietatis in res divinas commissae, (*Haeresin* vulgo appellant) insimularet, nonnulli eorum injuriae partem tulerunt, cum stultus male sedulorum clamor impediret, ne in stationem, aut primam vocarentur, aut secundam tertiamve promoverentur. Sed nec suspiciones, neque accusationes juvenes ingenuos, qui *Lugduni-Batavorum* Theologiam docti erant, inducere potuerunt, ut VOORSTIUM suum desererent. Ille vero innocentiae suae conscientia fretus et impavidus, et ipsa in doctrina, quam initio tradiderat, ut verba referam, quibus de CALVINO utitur BEZA, nihil prorsus mutavit, et a consueta docendi via ne transversum quidem discessit unguem. Et ut sole oriente evanescunt vapores humi, sic, eo fortiter procedente, paulatim exstincti sunt falsi invidique rumores. Tantum autem abest, ut cavillationibus de fama ejus detractum sit, ut longius illa percrebruerit. Excusso, quod patriae injectum erat, servitutis jugo, optata re-

rum Academicarum renovatio animum ejus, quamvis nullo laboris stimulo indigebat, ad claritatem scholae suae adaugendam exhilaravit et excitavit. Mox in laudis communionem venerunt CLARISSIUS, jam *Harderovici* recta studiorum ratione tradenda magnam celebritatem nactus, et SURINGARIUS; tum ad breve tempus BORGERUS; postremum KISTIUS: egregii viri, qui omnes, utinam fata dedissent, ut hanc patriam nostram ad hunc usque diem illustrarent! Sed ut illi VOORSTIUM, pars, praeceptorem colentes sibi aestimatissimum, pars, eum Theologum annis meritisque superiorem habentes, reverentia et caritate prosecuti sunt; sic talis tantusque hic fuit, ut splendidissima eorum luce nomen ejus non obscuraretur. Ante sex et quod superat annos, cum memoriam beneficiorum, quibus Providentia Divina eum cumulaverat, celebrabat, et tanquam animi, ut ISOCRATES ait, simulacrum proponebat, de cathedra effari potuit, quaecunque hujus patriae regio sibi ante oculos obversaretur, se ubique intueri in multitudinem virorum, antistitis Sacrorum vel et Academico munere fungentium, qui tam sua quam collegarum suorum ex schola profecti essent. Quantum autem salutis per hanc discipulorum catervam universae

ci-

civitati singulisque hominibus attulerit, et nemo ullus novit, et ipsi VOORSTIO latuit mortali; nunc vero eorum, quibus cognitis coelestia gaudia augeri possint, nihil plane viro immortali latere confidimus.

Quomodo factum sit, ut VOORSTIUS ingentem discipulorum copiam sibi conciliaret, quaestio nunc minus difficilis est. Haud pauci, qui primum, gravitatem viri suspicientes, timidius eum salutatum venerant, mox videntes, nihil ei magis cordi esse quam causam juventutis sibi mandatam, nomini ejus addicti abibant. Deinde sagaciores quique probe animadvertebant, eum studiis doctrinarum urgendis non vanam sibi aliisve quaerere gloriolam; sed id strenue agere, ut Sacrorum antistites formaret ad populum docendum aptos et idoneos: qua in re multum diligentiae ab eo positum esse, ne homines quidem fugit extraneos. Tum plurimis fiduciam sui faciebat religione, qua vulgo cognitum erat, eum ad excutienda et supplenda, quae in schola tractari deberent, vitam quasi dicare et consecrare. Nuper ego, quae ipse, ante triginta et quod superat annos, de doctrinae divinae capitibus ex ejus ore excerpseram, cum exemplo conferens multo recentius scripto, utrumque inter librum tantum interesse reperi, ut saepe in

 alium

alium plane auctorem incidisse mihi viderer. Sicuti autem illi curae erant omnes, qui ejus in disciplinam convenerant; sic unumquemque, quomodo se gereret, observare solebat, ut singulorum rationes, mores, studia cognosceret. Hinc alios brevi ab aliis discernere. Desides, inertes, recti et honesti immemores, nunc lenius, nunc acrius reprehendere. Renitentes coercere, ne mali serperet contagio. Contra vero bonos et strenuos identidem adhortari, ut viam tenere pergerent. Tristibus, qui sibi suoque ingenio diffidebant, stimulos admovere, ut reciperent animum. Audentioribus, ne nimium exsultarent, tanquam frenos injicere. Quibuslibet denique aditum ad se dare. Multos haud secus domi quam in schola explorare consilioque adjuvare. Optimos quosque amicitia complecti. Ita VOORSTIUS alienum se praestitit a Doctoribus Academicis, quos existimare queritur REINHARDUS, se suo muneri prorsus satisfecisse, si in schola apud audientes, quorum nemini interrogare docentem licet, vel eorum, quae obscura sunt, illustrationem petere, disputaverint; vel, ut fit, chartulis docendi munere permisso, lectoris functi sint partibus. Juvenes autem, ut quisque, VOORSTIO praeeunte, majores in studiis faciebat progres-

sus; ita maxime hunc ducem suum et ipsi colere solebant, et apud alios laudibus extollere.

Neque intra parietes tantum haec hujus viri cura se probavit, sed in solem quoque et lucem illustria ejus documenta exierunt. Exercitationibus publice disputandi, ut multum tribuebat, sic praesidebat saepissime. Acutiores disciplinae suae alumnos haud raro excitabat, ut subsecivo tempore, ad periclitandas ingenii vires, de quaestione sibi proposita nonnihil scriberent. Quod cum nonnullis eorum tam prospere successerit, ut commentationem haud spernendam in lucem ederent fortiterque defenderent, dicere vereor, utra magis laudanda sit, discipulorum diligentia, an prudentia praeceptoris, qui suo et consilio et auxilio iis affuerit. Aliis vero juvenibus selectis negotium Disputationis, quam ipse scripserat, ab argumentis, quae ei opponerentur, publice tuendae, honoris causa commisit. Jam hi omnes, cum postea se laudabiliter in loco quisque suo gesserint vel hodieque gerant, eventus docuit, quam cautus ingeniorum, quid singulis insitum esset, VOORSTIUS fuerit aestimator.

Necdum omnia diximus, quarum repetenda memoria est, ut qualem VOORSTIUM discipuli habuerint, in luce collocetur. Subinde adibant eum

ju-

juvenes optimae spei, quibus, quominus emergerent, rei familiaris angustia obstabat: ille vero, patris instar, causam eorum agebat nec remittebat, priusquam opem iis ferre posset. Pari modo, si fando audiverat, aliquem ex amicis moerore afflictum esse, hunc protinus vel conveniebat, vel arcessebat, ut conturbatum erigeret solatio. Sicuti autem tam egregie merebatur de discipulis, quos quotidie coram videbat in schola; sic haud raro se eorum non immemorem esse ostendebat, qui rerum divinarum administratione jam occupati longeque a conspectu remoti essent. Ipse ego ingratus homo sim, ni saepe recorder tempora, quibus ille mihi, cum ancipiti in casu animi penderem, vel fractus calamitate jacerem, ultro et libenter succurrerit. Ita et Sacrorum antistites, in muneris sui negotiis haerentes, qui eum epistolis adibant, ut consilium ab eo peterent, si quaestio satis gravis agebatur, persuasissimum sibi habere poterant, paucos intra dies pro voto ac desiderio sibi rescriptum iri. Quid, si nominatim appellare velim omnes, quibus eo suasore et hortatore obtigit, ut, vixdum Academiae stadio egressi, jam alicubi Sacris praeficerentur, et, paucis annis post, in ampliora et vel amplissima tandem loca vocarentur?

tur? Quae cum ita sint, nemo mirabitur, ingentem fuisse numerum eorum, qui praeclare secum actum existimarent, quod VOORSTII ex disciplina prodiissent.

Verum, ut homines valde inter se differunt ingenio, ita discipulorum VOORSTII alii vestigia ejus omnino persecuti sunt, alii magis minusve deflexerunt. Qui deflectendum esse censebant, praeeuntem non ita deseruere, ut scholae, unde profecti essent, nulla amplius indicia cernerentur. Aliorum ea maxime propria fuerunt et esse pergunt, quae ille prae ceteris commendavit. Nimirum VOORSTIUS, animo infixum habens, quod magnus monet CAMERARIUS, doctrinam Grammaticam omnis eruditionis in quoque sermone fundamentum esse, discipulos primas deferre docuit Grammaticae Literarum Sacrarum, praesertim Novi Testamenti, interpretationi: ut hinc praesidium quoque peterent institutioni populi, hinc materiem pro concione dicendi sumere haud recusarent. Deinde auctor iis fuit, ut duplicem haberent cautionem: alteram, ne jactandis et venditandis placitis, quae multitudini nova et inaudita essent, societatis Christianae pacem et quietem perturbarent; alteram, ne fidenter asseverarent, quod in controversiam vocari posset. Nihil autem magis ei usitatum fuis-

fuisse novimus, quam dicere, sibi aliquid *videri*: sed hoc nomine VOORSTIUS nonnunquam satis injuste reprehensus est, multo certe injustius, quam olim CICERO. Hic enim verbum illud elegantiae numerique causa frequentavit, et ita quidem, ut plus semel aliena loca occuparet; alter vero eo prudenter usus est, ne quis certum ratumque a se haberi sumeret, de quo ab omni non constaret parte. Ceterum religionis Christianae doctrinam ad unam Literarum Sacrarum auctoritatem et fidem revocans, firmioribus eam imposuit fundamentis, quam quibus nitebatur antea, cum *Dogmatica*, quae dicitur, sola in principatu erat. Quomodo autem factum sit, ut *Lugduni-Batavorum*, VOORSTIO inprimis auctore, *Dogmatica* principatu cederet, facilius intelligemus, si meminerimus, BROESIUM aliosque ei jam viam munivisse hujus incepti feliciter persequendi: tum vero praeclara Academiae *Trajectinae* et *Groninganae* lumina, HERINGAM et MUNTINGHIUM illi tanquam comites adstitisse ad eam loco temere occupato expellendam. Et supra vidimus, liberata patria nostra, *Lugdunum* ad Theologiam docendam advenisse doctissimos viros, qui eandem causam agerent. Literis autem Sacris hac in patria nostra suo semel statuto pretio, interpretatio

tio earum *Dogmaticae* quasi dux mansit et moderatrix. Fateor atque etiam profiteor, regulas, interpretationi illi ad haec nostra tempora positas, nondum tales esse, ut omni in loco vere Grammatica sit. Nec mirabor admodum, si dies aliquando illuxerit, quo scientiae jure meritoque ita dictae forma ei induatur. Sed posteriorem diem, ut cum CASAUBONO alicubi dixit VOORSTIUS, prioris esse magistrum, naturae ipsius, non hominum scitum est. Itaque quales quantique progressus erunt, quos in Literarum Sacrarum et praesertim Novi Testamenti interpretatione aequales posterique fecerint, memoria meritorum, quae Vir Optimus sibi hac in re consecutus est, ex grata mente nunquam delebitur.

Sed intelligentes ingeniorum judices VOORSTIUM, qualis praecipue a discipulis diceretur, talem ipsos omnino expertos esse, magnificis declararunt ornamentis, quae in eum congerebant. Variae Doctorum Virorum Societates eum sibi adsciverunt, nec tantum patriae, sed extranea etiam *Jenensis*. Regis augustissimi decreto Ordini Leonis Equestri adscriptus est. TZSCHIRNERUS, in recensione nostratium, qui bene meriti sunt, eum variis scriptis minoris amplitudinis, sed magni ponderis luculenter o-

ostendisse dicit, se interpretationi librorum Novi Testamenti aptum et idoneum esse. Latinam *Elementorum Hermeneuticae* editionem KEILIUS nomini ejus dedicavit. Ut autem praefatio libri valde honorifica VOORSTIO est; sic ille quanti haud secus foris quam domi habitus sit, clarissime me docuerunt epistolae, ab hoc eodem viro egregio, tum vero a CREUZERO, NIEMEYERO, KNAPPIO, VATERO, EICHSTÄDTIO aliisque ad eum scriptae. Nam ut auctores earum multi sunt in meritis et virtutibus VOORSTII laudandis; ita has laudationes nihil continere, quod non ex animi sententia profectum sit, indiciis manifestis ostendunt. Videlicet nunc de quaestionibus gravioris ponderis eum consulunt; nunc opem ejus petunt ad codices manuscriptos librorum Graecorum vel Orientalium conferendos; nunc sibi scripta, quae ab eo ejusve discipulis edita sunt, datis ei munusculis, avide deposcunt. EICHSTÄDTIO spem fecerat, se talia scripta, si commode fieri posset, ei missurum esse; ille vero, oro te, respondet, his promissis ita stes, ut nullam mihi unquam impensam nimiam fore tibi persuadeas, qua tam eximia tamque diu mihi desiderata eruditionis monumenta comparentur. CREUZERUS, *Annotationibus* VOORSTII *in loca selecta Novi Foederis* memoratis, sic scri-

scribere pergit: vides lectitasse me ternas illas scriptiones tuas, quibus tua liberalitas me proxime donaverat. Ac scito, summopere placuisse, nec mihi soli, verum etiam meis Collegis, in his ABEGGIO meo, viro graece docto, et qui in Novo Testamento explicando studiorum suorum domicilium posuit. Noli igitur dubitare, quin plurimum nos obstrinxeris transmisso recenti illo munere. Atque si nostra oratio aliquam in te vim habeat, illud cura; ut telam inceptam diu pertexas et plurimos ejusmodi Annotationum fasciculos in lucem edas. Haud sine causa igitur idem ille CREUZERUS mihi nuper admodum se gaudere scripsit, quod Optimi Viri memoriam celebrare instituissem. Jam si VOORSTIUS tanti habitus est et etiamnum habetur a Viris Doctissimis, qui a consuetudine ejus familiari remoti fuerunt; inde cogitatu facile est, quantopere eum coluerint, qui quotidiani testes essent studii, quo non solum id, quod verum est, appeteret, sed omnia etiam pietatis et virtutis officia explere conaretur. Et sicuti de diligentia sua nihil remisit, priusquam eum deficiebant corporis animique vires; sic omnes boni nomen ejus, quoad vixit, observantia et veneratione prosecuti sunt. Nunc jacet exstinctus, neque auribus percipit, quae ad laudem suam dicuntur: at sola-

tio

tio nobis est cogitatio, quam divinae CHRISTI debemus doctrinae, virum bene meritum non exstinctum esse; sed hinc tantum abiisse et sideris instar fulgentis occidisse, ut orbi meliori luceret. Nobis superstitibus datum relictumque est, ut non solum in imbecillam et mortalem, quae typis expressa est, vultus ejus imaginem, sed in formam mentis intueamur aeternam, quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed nostris ipsi moribus possimus.

ANNOTATIO.

Pag. 3. ANTONIUS *apud* CICERONEM. Verba leguntur Lib. II. de *Orat.* cap. 84.

— 4. *oratione celebrabat.* Titulus est JOANNIS VAN VOORST *Oratio, in memoriam beneficiorum Dei, in munere publico, cum Ecclesiastico tum Academico, decem lustra feliciter gesto, in se collocatorum.* Habita d. XI. Oct. MDCCCXXVIII.

— 7. *mors esse videatur.* Imitari malui quod de L. CRASSO dicit CICERO, de *Orat.* Lib. III. cap. 2, quam meis ipse verbis uti.

— 11. *multifariam profitetur.* Nempe in *Oratione* s. l. pag. 19, 20 et aliis in scriptis: inprimis vero in praefatione libri, cui titulus: *Compendii Theologiae Christianae Ordo et Argumentum. Pars Theoretica*, pag. IX sqq. Ibi autem omnibus Theologiae Professoribus, quorum institutione usus erat, suam tribuit laudem; majorem tamen nemini, quam AEGIDIO GILLISSEN, cujus disciplinam dicit « omnino talem

« fuis-

« fuisse, ut nullus esset (absit invidia dicto!), « a quo plus novi, ad doctrinam Theologicam « pertinens, audiri soleret." Et hunc quoque Virum, dum vegetus esset, frequens Epistolarum commercium cum discipulo habuisse, ex ipsis intellexi documentis, quae VOORSTII Vidua, gravissima matrona, mihi commodare haud recusavit.

Pag. 16. *Non laudi tantum* etc. Aliis literarum formis haec expressa sunt, quod typographis mandavi, ut ea magis in oculos incurrerent. Nam aut vehementer fallor, aut dignissima sunt, quae hodie attente legantur. Sed annotatione opus esse videbam, ne mens mihi tribueretur aliena. Nimirum longe absit, ut civibus faveam Academicis, nihil aliud agentibus, quam ut aliquando ad victum sibi quaerendum probabiliter instructi sint. Quales, uti omni tempore abundaverunt, ita nunc etiam satis multos esse, ex eo jam intelligimus, quod in scholis, ut quaeque proposito illi minus inservire videtur, ita rariores apparere solent auditores. Sed profecto nihil turpius est, quam doctrinis cum aliis, tum ad religionem pertinentibus eodem modo uti, atque artibus illiberalibus, quae lucri causa factitantur. Nec vero juvenes, qui studia sua his angustis finibus circumscribunt, se sibi velim suaeque vitae omni studere putent! Immo sibi suaeque vitae omni studere est ingenium divinitus datum ita excolere, ut fias tandem, qualis quan-

quantusque, natura vires ministrante, fieri possis. Quod qui in oculis habent, doctrinarum, quae ad munus aliquando in civitate honorifice explendum non solum necessariae, sed etiam utiles sunt, amplitudinem omnem mente comprehendere cupiunt. Et quod tales haud frustra quaeruntur, valde gaudeo; sed multo plures sunt animi, aut nil magnae laudis egentes, aut omne studium ad laudem sectandam referentes. Jam vero, illis sibi suaeque tenuitati relictis, hos cum maxime admonere volui, ne officio suo satisfactum putarent, si majorem sibi laudem, quam ceteri, comparassent. Neque igitur juvenum illorum, qui tanquam virtutis templum adscendere conantur, ut hinc ad honoris aedem perveniant, generosis conatibus me oppono, sed levitati eorum, qui, ad unum honorem adspirantes, eruditi doctique videri quam esse malunt. Quod, si hujus temporis rationem bene assecutus sum, malum est per Academiarum et Athenaeorum cives latissime serpens, juvenesque adeo praeclari ingenii inducens, ut, neglectis veris et reconditis doctrinis, umbras earum lucidas quidem, sed inanes amplectantur. Utinam vero hujusmodi juvenes legant et perpendant, quae CLARISSIUS noster de studiorum ratione scripsit in *Encyclopaediae Theologicae* praefatione pag. VII seqq.

Ibid. *an pietatis et virtutis.* Impetrare a me non possum, ut hunc locum praeteream, priusquam testimonium attulerim, quod multo pluris habe-

bebitur, quam omne testimonium aequalium. In manus mihi, quod humanitati debeo MUNTINGII, antistitis Sacrorum Lugdunensis, epistola venit, a VOORSTIO juvene anno 1776 ad Cognatum natu minorem sermone Latino scripta; cum ei gratulandi essent honores, quos in Gymnasio accepisset. Jam illo de rebus domesticis ac familiaribus admonito et ad viam, quam ingressus erat, persequendam excitato, sic pergit auctor:

« Ante omnia autem, mi Cognate! Deum time, memor semper aurei dicti *ora et labora:* nisi enim haec jungantur, omnia sunt vana, Deo ingrata, et in pejus aliquando abitura. O! quantum prodest Deum timere, Deum colere in prima adolescentia! Deum posse in omnibus adire ut patrem nostrum benignissimum in CHRISTO (sine illo enim nulla salus), a quo omnia bona, omnia dona perfecta descendunt ad ea rite petentes! Quantum est Patrem habere in coelis beneficum simul et omnipotentem, ad quem in omnibus possis, utut maximis, angustiis tuto et semper accedere, et ab eo omnia accipere bona in hanc vitam et futuram! Quantum est Deum habere supremum et sapientissimum Doctorem, qui te in omnem ducat veritatem, ad cujus pedes possis submisse sedere, ut ex pleno sapientiae ore docearis omnia, quae ignorabas, ea nempe, quae caro et sanguis revelare non possint! Omnia autem ista, mi carissime Cognate! (quae ampliare vetat re-

requisita epistolae brevitas et temporis mei ratio) omnia ista Deus O. M. efficaciter cordi tuo inscribat, teque communionis ipsius beatissimae avidum reddat et participem, supplex opto, precor, obsecro."

Exemplum ad literam descripsi, orationis etiam bonitatem in VOORSTIO juvene admirans. Sed si forte in verbis unum alterumve corrigendum esse videbitur; nemo ullus, puto, negabit omnia pietatem et virtutem plane singularem testari.

Pag. 17. *Correctione Masorethica.* Integer titulus est *de notabili correctionum Masorethicarum genere, quod spectat loca controversa, ubi Negativam in Affirmativam et Affirmativam contra in Negativam sententiam converti volunt.* Hanc autem Disputationem a JOANNE JACOBO SCHULTENSIO magni habitam esse, ex eo intelligere mihi videor, quod vir magnus et ALBERTO, patre suo, Literarum Orientalium peritia omnino superior, quamvis a Critica Veteris Testamenti alienior erat, eam tamen approbavit dignamque judicavit, quae in lucem ederetur. VOORSTIUS ipse opus juvenile sibi, maturiore aetate, minus placuisse scripsit in *Annot.* ad *Orat. in memoriam beneficiorum* etc. p. 24.

Ibid. *cederet plane nemini.* Virorum Doctorum verba describendo repetere, longum neque adeo necessarium erat: sed quae singuli, suo quisque modo, de VOORSTII praestantia testati sunt, pau-

cis contraxi, ut communem sententiam commemorarem.

Pag. 19. *quasi consecrandas.* In antistitibus Sacrorum minus vulgare est, Literarum Graecarum et Orientalium studia ita persequi, ut pensum sibi constitutum quotidie absolvant. At multum tamen utilitatis inde ad munus, cui praesint, administrandum redundare, uno ore testabuntur, quotquot experientia edocti erunt. VOORSTIUM autem in paucis unum fuisse, qui hunc morem receptum religiose servaret, ab auctoribus fide dignis accepi.

Ibid. *de scriptis suis consulebant.* Unus instar omnium, quem nominatim excitem, sit BROESIUS, Theologiae Professor in Academia Lugduno-Batava. Hic autem vir magnae eruditionis, ut amicitiae vinculo cum VOORSTIO junctus erat, sic per epistolas, et amicum semel iterumque rogavit, ut lineamenta Theologiae, quae juris publici fecisset, judicio suo submitteret, et postea gratias ei egit pro admonitionibus suis, quas tales esse confitebatur, ut operi emendationem veri nominis afferre posset. Cetera honorifica VOORSTIO, quae mihi in frequenti epistolarum commercio, inter utrumque habito, occurrerunt, brevitatis causa praetereo. Certo autem dicere nequeo, quid sibi velint quae BROESIUS die 29 Decembr. 1785. VOORSTIO scripsit: se in literis Orientalibus minus versatum esse, quam ut de opere ejus, utpote viri earum per-

peritissimi, justum ferre possit judicium; sed hanc suam esse sententiam, eum, si illud in lucem ediderit, de religionis Christianae causa egregie meriturum esse. At fieri potest, ut haec spectent *Disputationem de vaticinatione Zach. XIV:* 9. adversus EVANSONUM, in scriptis VOORSTII repertam, nec vero typis, quantum novi, expressam.

Ibid. *posset Respublica.* Res sic se habet. In bello maritimo, quod Respublica Batavorum anno 1782. cum Britannia gerebat, haud sine causa commota erat suspicio, his in regionibus esse, qui cum hoste facerent. Jam vero bis mille fere epistolis, quae in Britanniam destinatae erant, a celoce quadam nostra interceptis, multi sperabant fore, ut conspiratio detegeretur. Ergo *Zelandiae Ordines* illas sine mora signo detracto legere decreverunt. Sed cum haud paucae reperirentur, quae sermone Hebraeo scriptae essent, virum hujus sermonis peritum quaerere necesse erat, cui examinatio earum mandaretur. Atque sic res pervenit ad VOORSTIUM, qui quanti haberetur, inde luculenter apparet, quod eum aliis omnibus, quotquot tunc in provincia illa degebant, Sacrorum praetulerunt antistitibus. Hic autem, negotio perfecto, idem illud retulit, quod ceterarum epistolarum retulerant lectores et examinatores, his scriptis nihil contineri, unde damnum capere posset Respublica. Vide *Continuationem* operis WAGENARII,

Vaderlandsche Historie, Tom. IV. p. 351 sqq. Examinatoris Epistolarum Hebraearum, nomine tamen suppresso, diserta commemoratio exstat in *Resolut. Holland.* ad d. 27 Novembr. 1782. BROESIUM vero in Epistola quadam, anno dieque non notato, VOORSTIO insignem laudem gratulatum esse vidi, quam difficili Literarum Judaearum interpretatione consecutus esset.

Pag. 20. *Concionator Belgicus.* Hoc nomine VOORSTIUS *Franequeram* vocatus est, ut distingueretur ab oratore, qui ibi, Academiae nomine pro concione dicens, sermone utebatur *Latino.* Quod, cum aliquamdiu in desuetudinem abiisset, renovatum est a L. MEYERO, qui, Professor Theologiae et *Concionator Latinus* creatus, eodem tempore ac VOORSTIUS docendi munus capessivit, ut, praeter alia multa, me monuit Cl. J. W. DE CRANE, Professor olim *Franequeranus* et Collega, cum ibi versabar, mihi conjunctissimus, nunc otio fruens honesto neque otioso.

Ibid. *certus ei auctor.* Nimirum unus ex Curatoribus Academiae, qui quamquam res eo redacta esset, juvenes tamen, qui studiorum caussa *Franequerae* versarentur, numero jam accrevisse scribebat, hoc argumento impellere volens VOORSTIUM ad Professoris munus, si vocatus esset, suscipiendum. Pro *Theologis* autem scribere potuissem *Theologo.* Nam in locum P. CONRADII, anno jam 1781 mortui, nemo erat suffectus. J. MANGER d. 15 Maji 1787 docendi munus

nus deposuerat. Restabat unus J. RATELBAND, et senex quidem, otium et quietem sibi exoptans. MEYERUS, quamquam vir erat doctrina insignis, aetate tamen longius provectus fuisse videtur, quam ut multa juventuti praestaret. In VOORSTIUM igitur maxime oculis intuiti sunt et vero spes eos non fefellit.

Pag. 21. *inprimis necessariis.* Exemplum secutus sum typis expressum *apud viduam* GULIELMI COULON.

— 22. ABRESCHIUS. Celeberrimus hic Theologiae Professor in Academia Groningana inter multos fuit Viros Doctos, qui VOORSTII *Dissertationem critico-exegeticam, exhibentem specimen Observationum ad loca quaedam* MATTHAEI valde approbarent. Sed haud scio, utrum majori ei honori fuerit, quod ille dixit ad hujus operis laudem, an quod contradixit *thesi* operi subjectae: *verba* λίθον ὃν — γωνίας, καὶ 1 *Pet.* II: 7. *in Editt. nostris expressa, vix Petri, sed Interpretis potius glossema esse videntur.* Qua de conjectura nunc amicum epistolarum commercium habuerunt, ut docte alter dubia sibi oborta opponeret, alter causam suam defenderet. Quantum autem ABRESCHIUS VOORSTIO tribuerit, manifesto quoque apparet ex literis, 29 Jan. 1791. scriptis, quibus sibi *Groningae* deesse dicit virum animi satis exculti, moderati et ad sententiam dicendam cordati, cujus judicio scripta sua, priusquam in vulgus,

gus exeant, submittere possit, VOORSTIUMque rogat adeoque obsecrat, ut jam judicandis libris, in lucem editis, et quae sibi displicuissent secum communicandis, inopiam illam quodammodo compensare velit. Similiter se VOORSTIUM quanti facerent, epistolis familiaribus EVERH. SCHEIDIUS, H. A. SCHULTENSIUS, TE WATERUS ostenderunt. Hic autem, JABLONSKII *Opuscula* editurus, opem etiam a VOORSTIO petiit, ut disputationes ejus *de creatione ex nihilo*, *de Epistola ad Colossenses* IV: 16. et *de ultimis Pauli laboribus*, tum vero eorum, quae viri illius vocationem ad Professoris munus *Franequerae* obeundum spectabant, accuratam notitiam acciperet. An aut quatenus huic petitioni VOORSTIUS satisfacere potuerit, mihi non liquet; alteri vero ab eo satisfactum esse, si minus inde apparet, quod hae tres disputationes ab editore *Opusculis* JABLONSKII adjectae sunt, partim tamen ille probabile fecit silentio, quod in literis suis postea de iis habebat, partim expressis verbis declaravit Tom. III. p. 316.

Pag. 23. *relinquentem desiderium.* Nonnulla petii ex *Narratione de vita* LUCAE SURINGARII, *Theol. Doct.* etc. scripta a Doct. ejus filio, W. H. D. SURINGAR, ut insereretur *Annalibus Acad. Lugd.-Bat.* A. 1833 — 1834.

— 24. *ei offerretur.* Sententiam, et suam, et plurium virorum Cl. GILLISSEN perspicue dixit in Epistola d. 7 Jan. 1791. aliisque ad VOORSTIUM

STIUM scriptis. Et huc spectare videntur verba *Anonymi* in *Bibliotheek van Theologische Letterkunde*, Tom. II. p. 161.

Pag. 28. *oratione publice habenda.* Dixit nempe *de Scriptorum veterum Christianorum studio prudenter et liberaliter excolendo.*

— 30. *summopere praedicavit.* In mente habebam quae legeram apud WYTTENB. *vita* RUHNKENII, p. 117 sq. quibuscum, si lubet, conferantur quae ipse RUHNKEN. scripsit in *Opusc. var. argum.* Ed. alt. Tom. I. p. 186 sqq. Tom. II. p. 779, 780. et alibi.

Ibid. *causa pascitur.* Quamquam nihil scripsit VOORSTIUS ad literas Graecas vel Latinas data opera illustrandas; nemo tamen, qui *Annotationes* et *Animadversiones* ejus, pag. 36. laudatas, legerit, negabit, eum his in literis egregie versatum fuisse. Conferri omnino merentur quae de literarum Graecarum et Latinarum, tum et artium ac disciplinarum studio ipse scripsit in praefatione *Compend. Theol. Christ.* p. XIV.

Pag. 31. XENOPHONTEM. Vide *Memorab.* SOCR. Lib. II. cap. 1. Sed ipsa verba aurea et omnium animis inculcanda, quo plures ea legant, describam. Sunt igitur haec: Τῶν ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις.

— 32. *copiose exposita.* Quae ERASMUS aliique Viri Docti hoc de argumento scripserunt, congesta sunt in *Opusc. de Rat. stud.* edd. ab EV. SCHEI-

SCHEIDIO, ubi vide Tom. I. p. 90, 162 sqq. Tom. II. p. 64 etc.

Pag. 34. *narratum est.* Nempe in *Bibliothecae Voorstianae Parte, sive Catalogo*, pag. 89, 90. Recensio paulo plenior et accuratior brevi exibit cum *Annal. Acad. Lugd.-Bat.* a. 1833 — 1834.

Ibid. *Teylerianae.* Disputatio, sic inscripta *over de dwaasheid der twijfelarij en de ongerijmdheid van het meesterachtig beslissen in den Godsdienst*, legitur in *Opp. Societ. Teyler. Theol.* Tom. VII.

Ibid. *Haganae.* Hujus Societatis Opera tres VOORSTII continent disputationes, annis 1787, 1788 et 1794. praemio honoratas, quae sic inscriptae sunt: *De allernaauwste betrekking en zeer heilzame invloed van het geloof der verborgenheden en andere betwiste leerstukken op onze gelukzaligheid betoogd. Proeve over de echtheid en ongeschondenheid van* MATTHEUS *Euangelie; en wel bijzonder over de echtheid van* Matth. XXVIII: 19. *Verhandeling ten betooge, dat God eigenlyk gezegde straffen op de overtreding zijner wetten bedreigd heeft, en dat hij, als regter, de zonde dadelijk straft.*

Pag. 34, 35. *Operibus insertae.* Hujus numeri quoque est disputatio, die 3 Aprilis 1826. in tertia *Instituti Regii Neerlandi* Classe a VOORSTIO lecta et Sociorum decreto typis expressa, cui

cui titulus: *Verhandeling over de letterkundige verdiensten van* HUGO DE GROOT, *behelzende een vergelijkend overzigt derzelven en van hetgeen aan derzelver wijduitgestrektheid en uitstekendheid bevorderlijk is geweest.* Ut autem multa de GROTIO cognitu digna, quae alibi non occurrunt, hoc libro continentur; sic eo carere nequeunt, qui viri immortalis merita in literis pretio suo aestimare volunt.

Pag. 35. *conatus est.* Cf. *Oratio*, quam d. 6 Junii 1791. *Franequerae* habuit *de injusto Theologiae ad scholae legem diligenter exactae contemtu.* Sed in aliis ejus scriptis loca etiam huc spectantia esse, dicere non opus est.

— 36. CLEMENS *Alexandrinus. Stromat.* Lib. I. cap. 1.

Ibid. *opponerent alii.* Jam in flore aetatis VOORSTIUS sapienter consilium ceperat tacendi, quidquid alii in scriptis suis reprehenderent: et nunquam inde, quantum equidem scio, discessit. Longe alia causa erat, cum Disputationis a se scriptae defensionem publicam discipulo cuidam excellentiori mandaverat; censor vero quis nomen hujus in fronte libri legens, illum imprudens fecerat auctorem. Nunc brevi tantum admonitione opus erat, ut jus suum sibi vindicaret VOORSTIUS; sed alii censorem acrius reprehenderunt. Ipse autem errorem suum candide fassus est. Vide *Bijdragen tot de beoefening en geschiedenis der Godgeleerde We-*

Wetenschappen. Tom. VII. p. 325, 326. ubi, si tanti videtur, plura hac de re legi possunt.

Pag. 37. *ut quis ait.* Censor in *Gött. Gelehrte Anzeigen* d. 13 Jan. 1814. Legatur etiam judicium VOORSTIO honorificum in *Leipz. Liter-Zeitung.* Anni 1812. pag. 884 sqq. 1813. pag. 1182 sqq.

— 38. *ut* LACTANTIUS *ait. Instit. Div.* Lib. II. cap. 6. Sed pro *dicatur*, quod hic editum est, alii libri habent *ducatur.*

— 39. MUNTINGHIUS. *Pars Theol. Christ. Theor.* edit. II. Tom. II. p. 243. « Operae pretium « est verba describere." PAULLO; ait, « imprimis solemnis est in hoc argumento vox δικαιώσεως, quam qui a Deo percipiunt, hinc dicuntur a Deo δικαιοῦσθαι, ipsumque hoc beneficium vocatur δικαίωσις, ac benevolentia « illa divina, e qua profluit, δικαιοσύνη τοῦ θεοῦ: — — quae vero harum phrasium significatio non adeo repetenda est ex judiciis — — sed e notione *benevolentiae* singularis — — « uti imprimis accurate docuit cl. VAN VOORST « *Animadvers. ad loca quaedam N. T.* p. 29 « sqq." Ipse VOORSTIUS in epistola, quam legere mihi contigit, se VITRINGAM, TURRETINUM, TITTMANNUM, qui cum pluribus aliis a sententia Theologorum maxime vulgari discessissent, secutum esse scripsit. Et eodem fere tempore, quo VOORSTII *Annot.* edita est, TZSCHIRNERUS, *Memorabiliën für das Studium und die Amtsfüh-*

führung des Predigers. Tom. I. Part. 2. pag. 53, 54. dixit, formulam δικαιοσύνη τοῦ θεοῦ nihil aliud significare, quam benevolentiam Dei, qua veniam peccatorum homini dare velit.

Ibid. *annotatione usus sit.* Vulgo cognitum est quod PALMIUS noster in libro, cui titulus *Leerredenen.* Tom. III. praef. p. VI sqq. ad probandum VOORSTII *Annotationem* in 1 *Joann.* III: 2. dixit, et ita quidem dixit, ut hic etiam singulari sua humanitate sibi constaret.

Ibid. *non desperare. Annotationes* publice defensae *sunt*, prima *de* 1 *Joann.* III: 2. a JACOBO AMERSFOORDT, d. 15 Decemb. 1810. altera de *Rom.* I: 17. III: 21, 22, 25, 26. X: 3. a DIDERICO RIJKE, d. 8 Junii 1811. tertia de 1 *Joann.* I: 1—3. a JACOBO HERDERSCHEE, d. 13 Junii 1812. *Animadversiones* annis demum 1818 et 1821. editae sunt et publice defensae a GUILIELMO VAN DER LEEUW et JANO BERNHARDO HENRICO BRUINIER.

Pag. 41. *valuisse vidimus.* De hac peculiari, quae in VOORSTII Compendio cernitur, agendi ratione, ut singulis doctrinarum capitibus expositis ostendat, quid conferant ad bene beateque vivendum, supra quidem, quoniam hoc in argumento brevis esse solet, mentionem non feci; sed hic tamen illud verbo attingendum esse censebam.

— 41. *magis accommodatos.* Mirabuntur fortenonnulli, me, et alia recentioris aetatis scripta, quae memorantur a CLARISSIO l. c. p. 393, 415,

et

et praesertim *Schema Institutionum Theologicarum*, *Groningae* anno 1773 a CHEVALLIERIO editum, silentio praeterire. Sed hoc loco alios non excitandos esse putabam libros, quam tempore vulgatos, quo VOORSTIUS jam Academico docendi munere fungeretur. Deinde ratio tantum habenda erat eorum, quos auctores et absolverant, et Latino sermone ad scholae composuerant usum. Quare et mentionem non feci libri: *Christelijke Godgeleerdheid naar de behoefte van dezen tijd*, anno 1811 editi a *Regenbogenio*, viro acuti ingenii, eodemque VOORSTII discipulo, sed qui a praeceptoris disciplina longe discesserat.

Pag. 42. *lineas proponere.* In mente habebam quae BROESIUS plus una in epistola VOORSTIO scripsit. Conferantur praefatio, *Institut. Theol. Theoret.* ab eo praemissa, et monita in *Bibl. van Theol. Letterk.* Tom. I. p. 55 sqq.

Ibid. *et secerno. Monogrammata* enim *Theologiae Theoreticae in suae scholae usum*, quae anno 1817 edidit, judicio virorum intelligentium talia non sunt, ut hic in censum venire posse videantur.

Ibid. *bis repetitam.* Altera nempe editio prodiit anno 1814, tertia anno 1827.

Pag. 43. PLINIUM. *Epist.* Lib. VII. ep. 17.

— 45. *elaboraturus esset.* Verba legi in epistola, d. 16 Sept. a. 1814 scripta, cujus usum mihi CREUZERI dedit liberalitas. Similiter VOORSTIUS,

STIUS, diu post, in *Animadvers.* etc. *Spec.* II. p. 168 scripsit: « Habet collatio locorum similium multiplicem cautionem, maxime in Euangeliis, de qua, quod ad verba cum praepositionibus composita attinet, post, Deo volente, pluribus agemus."

Ibid. TERENTIUM. *Heautont.* Act. I. scen. 1. vers. 18.

Ibid. *instituto suo curaret.* Libri titulus est JOANNIS *Chrysostomi Selecta. Graece et Latine. De editionis novae consilio praefatus est et annotationem subjecit* JOANNES VAN VOORST, Volumen I. prodiit anno 1827. II. a. 1830. Illud orationem Graecam et Latinam, hoc Annotationem continet. Quae autem a me dicta sunt illustrabuntur ei, qui legerit *praefationem* Tom. I. p. XVII—XIX. XXV sqq. et *Epilogum* Tom. II. p. 223, 224.

Pag. 46. *Broesii successor in cathedra.* Haec, quo melius intelligantur, paucis explicanda sunt. Ipse VOORSTIUS in *Oratione*, qua munus docendi in Academia *Lugduno-Batava* capessebat, pag. 64, dixit, se ad affinium doctrinarum, quas BROESIUS tantopere adamavisset et exornavisset, professionem vocatum esse. Et omnino recte ita dixit, rationem habens *Antiquitatis Christianae et Historiae dogmatum*, quarum institutio temporum difficultas voluerat ut, misso *Theologiae* nomine, ei mandaretur. Sed tantum aberat, ut Academiae Curatores ei angustos do-

docendi fines scribere decrevissent, ut sibi gratum futurum esse significassent, si provinciam longius, quam ferebat titulus, et ad varias quidem Theologiae partes extenderet. Cujus igitur admonitionis haud immemor, post ferias jam aestivas Theologiam, et *Dogmaticam*, et *Pastoralem*, et vero *Exegeticam*, ut supra pag. 28 narravimus, juventuti tradidit. Atque ita ab initio non tantum in doctrinis earum affinibus, quas BROESIUS adamaverat et exornaverat, versatus est, sed plane easdem, ac vir ille praeclarus, tractavit. Quantopere autem diligentia ejus Curatoribus placuerit, sequenti jam anno perspicue ostenderunt, cum d. 21 Martii ei mandarent, ut omnium rerum Theologicarum curam una cum TE WATERO et RAVIO susciperet. Brevi post, d. nempe 10 Aprilis, ad eum delata est professio *Exegeseos Novi Testamenti*, quam paulo ante mortem, et d. quidem 15 Jan. 1799. BROESIUS honoris causa acceperat. Petii haec partim ex *epistola* RAVII, d. 21 Martii illius anni ad VOORSTIUM missa, priusquam *Lugdunum-Batavorum* vocaretur, partim ex *Actis Curatorum MSS.* quorum inspectio mihi benevole concessa est.

Pag. 47. *curare debebat.* Nimirum PALMIO *Hagam-Comitum* vocato, ut institutioni publicae praeesset, RAVIUS, decreto curatorum d. 4 Maji 1799. Professor ordin. *Linguarum et Antiquitatum Orientalium* ut et *interpres legati Warneriani* crea-

creatus, et hoc quidem munus una cum professione *Poëseos et Oratoriae Sacrae*, quam d. 8 Febr. acceperat, obire jussus est. Quamvis autem decreto illo Theologia ei detracta non erat; res ipsa loquitur, fieri non potuisse, ut ab eo tempore multum laboris et diligentiae hac in provincia collocare pergeret. TE WATERUM vero varias quidem Theologiae partes perite docteque tractasse; sed *Historiae* tamen *Ecclesiasticae* operam maxime dedisse, nemo ignorat. BORASIUS, injuria hominum imperii clavum tenentium, cum VOORSTIUS *Lugdunum* veniebat, docendi munere motus erat, neque ante annum 1802 revocatus est. Cf. SIEGENBEEKII nostri liber: *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool.* Tom. I. p. 342, 368, 369.

Pag. 49. *utitur* BEZA. In *vita* nempe JOANNIS CALVINI, *operibus* ejus praemissa.

— 50. *diem illustrarent.* CLARISSIUS anno 1815 *Lugdunum-Batavorum*, Theologiae docendae causa, venit; KISTIUS anno 1823, et hic quidem Professor extraordinarius *Historiae Ecclesiasticae et Historiae Dogmatum Christianorum*, sed anno 1827 Professor Theologiae ordinarius factus est. De SURINGARIO, qui, anno itidem 1815, stationem *Lingensem* cum *Lugduno-Batava* commutavit, supra diximus. BORGERUS anno 1808 *Lector Exegeseos Sacrae*, anno 1815 *Professor Theologiae* ordinarius creatus et hoc munere functus est usque ad annum 1817, quo Philosophiae Theo-

Theoreticae et Literarum humaniorum professionem accepit, quibus praefuit, donec anno 1820 praematura morte rebus humanis eriperetur. Eodem autem tempore, quo in KISTIUM Professoris Theologiae Ordinarii munus deferebatur, ego *Amstelaedamo* vocatus sum, ut VOORSTIO septuagenario succederem.

Ibid. ISOCRATES *ait.* In orat. de *Antidosi.* cap. 3.

Pag. 51. *fugit extraneos. Neue Leipz. Liter-zeit.* anni 1810. p. 611 sqq. ubi VOORSTIUS vir dicitur in cognitione religionis verae et sincerae promovenda diligentissimus ejusque oratio, 8 Febr. 1809. habita, *de populari religionis Christianae disciplina ex legitimae Sacrorum librorum interpretationis fonte praecipue haurienda* valde laudatur.

— 52. *queritur* REINHARDUS. *Opusc. Academ.* Vol. I. p. 353.

— 53. *fuerit aestimator.* Virorum, qui *Annotationes* VOORSTII publice defenderant, duo jam intempestive diem obierunt: alter, J. AMERSFOORDT, cum Athenaeum *Franequeranum* Theologia docenda illustrabat; alter D. RIJKE, antistitis Sacrorum munere *Bruxellis* fungens. Tertius J. HERDERSCHEE rerum adhuc divinarum causam laudabiliter agit *Hornae*, urbe satis celebri *Hollandiae* septemtrionalis. Qui *Animadversionum* defensionem sustinuerunt, G. VAN DER LEEUW et J. E. H. BRUINIER, ambo nunc egregie Sacris praesunt *Amstelaedami.*

Nec

Nec minus *Oosterhouti*, oppido haud obscuro *Brabantiae* septemtrionalis, societati Christianae honori et ornamento est A. VAN BEMMELEN, auctor *Dissertationis Exegetico-Criticae de epistolis* PAULI *ad Ephesios et Colossenses inter se collatis*, quam praeside VOORSTIO d. 19 Nov. 1803. publice defendit. ARNOLDUS vero GUILIELMUS HASELAAR, qui 29 Nov. 1806. eodem praeside *Dissertationem Exegeticam de nonnullis Actuum Apostolicorum et Epistolarum Paulianarum ad historiam* PAULI *pertinentibus locis* defenderat, munere Sacro multifariam rite administrato, ante aliquot jam annos *Arenaci* morbi vehementiae succubuit.

Pag. 55. *monet* CAMERARIUS. *Vita* PHIL. MELANCHTHONIS, p. 26. Conferantur inprimis, quae VOORSTIUS *Animadv. de usu verborum* etc. praefatus est.

— 56. *feliciter persequendi.* BROESIUS, si quis dubitat, an inter primos et principes fuerit, qui VOORSTIO viam munirent; hunc legere tantum jubemus, quae ille jam anno 1788. *Institutionibus Theol. Theor.* praefatus est, *studium exegeticum systematici basin ac fundamentum* vocans.

— 57. *dixit* VOORSTIUS. *Orat. de* JOANN. AUG. ERNESTIO. pag. 36.

— 58. *idoneum esse.* Hanc suam sententiam dixit in libro notissimo, sic inscripto; J. M. SCHRÖCKH, *Christl. Kirchengeschichte, seit der*

 Re-

Reformation, *fortgesetzt von* D. H. G. TZSCHIRNER. Tom. IX. pag. 653.

Ibid. *nomini ejus dedicavit.* C. A. TH. KEIL, Professor *Lipsiensis* celeb. anno 1809. edidit librum, cui titulus: *Lehrbuch der Hermeneutik des Neuen Testamentes nach Grundsätzen der grammatisch-historischen Interpretation.* Qui, cum VOORSTIO in manus venerat, adeo ei placuit, ut in Hermeneutica discipulis suis tradenda illum sequi constitueret. Sed animadvertens tamen, librum, qui sermone *Germanorum* scriptus esset, scholae suae rationibus minus convenire, auctorem rogavit, ut vel ipse eum in sermonem Latinum vertendo redderet, vel sibi, aut alii nostratium facultatem daret interpretationis Latinae conficiendae. KEILIUS huic rogationi hactenus obtemperavit, ut EMMERLINGIO, discipulo suo, negotium committeret se duce et monitore peragendum. Jam omnibus paratis, hanc libri sui interpretationem Latinam auctor anno 1811, *Elementorum Hermeneutices Novi Testamenti* titulo, in lucem edidit et VOORSTIO, ut merita ejus postulabant, dedicavit. VOORSTIUS autem cum, superatis difficultatibus, quae illo tempore librorum invectionem impedirent, haec *Elementa* tandem acquisiverat, iis diligenter in schola usus est. Antea librum ERNESTII, summopere ab eo laudatum, *Institutionem Interpretis* N. T. discipulis suis explicare solebat. Sed ex hac mutata quo-

quoque agendi ratione apparet, eum nulli pepercisse labori, dummodo speraret, se rebus Christianis profuturum. Quare provectiore jam aetate negotium suscepit orationes JOANNIS *Chrysostomi* in schola tractandi, et hoc maxime consilio, ut exemplo illo rectam Literarum Sacrarum interpretationem auditoribus monstraret, ut monuit in *Selectis.* Tom. I. p. XXV.

Pag. 59. *explere conaretur.* Mirandum igitur non esse, inter nostrates multos fuisse, qui funera VOORSTII laudibus prosequerentur. Quod egerunt *Anonymi* in *Algemeene konst- en Letterbode*, anni 1833. P. II. p. 82, 83. et *Boekzaal der geleerde wereld*, ejusdem anni. P. II. p. 224. De luce Societati, ut vocant, Biblicae ab eo allata, dixit discipulus ei olim acceptissimus, N. BERKHOUT, antistes Sacrorum *Lugdunensis*, in generali conventu Sociorum, *Lugduni* habito d. 17 Oct. 1833. Pietatem ejus et virtutem cum maxime praedicarunt A. H. TER HOEVEN et J. PRINS, *Amstelaedami* Sacra obeuntes, itidemque VOORSTIO praeceptori, dum vivebat, valde accepti, in *Nieuw Christelijk Maandschrift voor den beschaafden stand.* Tom. VII. p. 597 sqq. Quam egregie autem VOORSTIUS doctrina quoque sua et studio erga Theologiam et Religionem, Literas, Academiam ejusque cives meritus sit, commemorarunt V. V. C. C. SIEGENBEEK et NIEUWENHUIS: alter in *Handelingen der Jaarlijksche Vergadering van de Maat-*

schappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden, gehouden den 19 van Zomermaand 1833. pag. 5 sqq. alter in Oratione, cum *Annalibus* anni 1833—1834. brevi in lucem exitura, qua Rectoris Academiae munus, die natali 8 Febr. hujus anni, deponebat: sed, pro humanitate sua, haec merita copiose exponere noluerunt, ne occuparent partes, quas ego suscepissem.

Pag. 60. *moribus possimus.* Huic scriptioni finem impositurus, memineram verba gravissima TACITI in *vita* AGRICOLAE cap. 46, nec noveram digniora, quibus mea in causa uterer.